



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Sectio I. De Locis Ecclesiasticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

SECTIO I.  
DE LOCIS ECCLE-  
SIASTICIS.

## TITULUS I.

DE ECCLESIARUM ORIGINE,  
FORMA ET DIVISIONE.

*Conf. Decretal. lib. 3. tit. 29. & 37.*

## §. 2.

*Discerni-  
tur Locus  
Sacer, Reli-  
giosus, &  
Pius.*

**P**RO evitandis æquivocationibus, præmittendum est discrimen inter *Locum Sacrum*, *Locum Religiosum*, & *Locum Pium*: quod pariter notandum venit de *Re Sacra*, *Religiosa* & *Pia*. *Locus Sacer* dicitur, qui auctoritate legitima rite DEO, aut Cultui Divino per *Uctionem* & sacras ceremonias dedicatus est 1.). *Locus Religiosus* est, qui auctoritate Ecclesiastica Divino Cultui, aut piis usibus sine consecratione est destinatus 2.). *Templum consecratum*, est *Locus Sacer*: *Monasteria*, *Hospitalia* auctoritate

---

1.) §. 8. Inst. de Rer. Divis.  
2.) C. 4. de Relig. Domib.



ritate Episcopi erecta, sunt *Loca Religiosa*. Necessaria semper est autoritas Ecclesiastica, ut locus fiat Juris Divini, & ex commercio humano eximatur 3.). Quando autem locus privata solum autoritate piis usibus destinatur (uti oratorium privatum, ædiculæ passim in viis publicis pro transeuntium devotione constructæ) dicitur *Locus Pius*, qui licet ob favorem Pietatis quoad varia privilegia loco sacro aut religioso nonnunquam æquiparetur, manet tamen proprie locus *profanus*, prout scilicet profanum opponitur sacro & religioso 4.). Hinc *Loca Pia* sunt in dominio privatorum, ac in commercio humano, possuntque privata autoritate ad usus profanos reduci. Concilium tamen Tridentinum 5.)

A 2

Episco-

- 
- 3.) Denominatio Loci Religiosi per illationem cadaveris §. 9. Inst. de Rer. Divif. huc non pertinet.
- 4.) *Si quis autoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est, sed profanum.* cit. §. 8.
- 5.) Sess. XXII. c. 8. de Reform. De Oratoriis in via sitis Concilium TOLOSANUM ann. 1590. part. 3. c. 2. statuit: *Oratoria peregrinorum sublevationi, religionique*



Episcopo tribuit jus visitandi *pia loca omnia* (præter Oratoria Regum) ne scilicet in iis fiat, quod contra decentiam, aut Cultus Divini majestatem cedat.

*Loci Sacri nomina.*

§. 3. Pro significando Loco Sacro nomen *Templi* est usitatissimum, quo intelligitur *Edificium DEO consecratum*. Dicebatur etiam *Fanum* aut *Delubrum* apud Gentiles; *Tabernaculum*, *Sanctuarium*, *Sancta*, *Sancta Sanctorum*, *Oraculum*, & Hebraice *Hechal* apud Judæos; apud Christianos vero *Ecclesia*, *Basilica*, *Memoria*, *Martyrium*, *Confessio*, *Titulus*, *Oratorium*, *Cubiculum*, *Sacellum*, *Capella*; Græcorum lingua *ιερον*, *ναον*, *κυριακον* seu *Dominicum*, ex quibus fontibus etiam Germanicæ nonnullæ nuncupationes fluxerunt, *Kirch*, *Dom*, *Dom-Kirch*.

*Semper fuerunt Lo-*

§. 4. Quamvis veri adoratores DEum, qui Spiritus est, nec in manu-

---

*que in viis quam fieri poterit, commode extruantur: suusque illis honos cultusque non secus ac reliquis Ecclesiis conservetur... qua vero sacre imagines in oratorii effingentur, ea cancellis interiori sacrarii parte vestiantur, quo tanquam angustiiori loco constituta, majorem transeuntibus religionem afferant.*



nufactis Templis habitat 6. ), in *ca* Divino  
spiritu & veritate 7. ) absque loco- *Cultui de-*  
rum discretionem adorent: nihilomi- *stinata:*  
nus semper fideles certa loca, in qui-  
bus ad preces fundendas, & Divina  
Mysteria peragenda convenirent, de-  
stinant, non obstantibus iis, quæ  
nonnulli ex quorundam Patrum ma-  
le intellectis locutionibus inferunt.  
Certe Apostoli convenire solebant  
in cœnaculo montis Sion, ubi Chri-  
stus ultimam Cœnam celebraverat;  
postea vero elegans Ecclesia erecta,  
& *Ecclesia Montis Sion*, aut *superior*  
*Apostolorum Ecclesia*, tempore CYRIL-  
LI Episcopi Hierosolymitani 8. ) &  
HIERONYMI 9. ) dicta fuit. The-  
rapeutæ in Ægypto, sive Judæi, si-  
ve Christiani fuerint, temporibus S.  
MARCI habebant sua *συνετα*, & Mo-  
nasteria, Divino Cultu constituta 10. ).  
Forte etiam S. PAULUS non tam  
ipsam Fidelium congregationem,  
quam locum, ubi Fideles congre-  
gati erant, intelligit, quando dicit:

A 3 nun-

6. ) Act. XVII. 24.

7. ) JOAN. IV. 23.

8. ) Cateches. XVI. n. 2.

9. ) Epist. 27. Epitaph. Paulæ.

10. ) EUSEB. Hist. Eccl. lib. II. c. 16.



nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam DEI contemnitis . . . II. )? De sequentibus sæculis clariora Ecclesiarum vestigia passim ab Autoribus colliguntur 12. ).

Non tamen  
sub nomine  
Templi.

§. 5. Anomine Templi abstinebant primi Christiani, tum ob recentem memoriam Templi Hierosolymitani, ne viderentur sectari ceremonias Judaicas; tum ob præsentem vigorem Templorum Ethnicorum, quæ sine mactatione victimæ nec erant, nec intelligebantur; tum quod primis Christianorum temporibus non essent magnificæ hujusmodi moles, quæ potissimum Templi nomine intelligebantur; tum propter augurii superstitionem, qua designabantur ab Ethnicis Tempia. Unde ORIGENES 13. ), MINUCIUS FELIX 14. ), ARNOBIUS 15. ), LACTAN-

- 
- II. ) I. Cor. XI. 22. De ipso loco textum explicat S. AUGUSTIN. quæstion. 57. in Levit. S. BASILIUS Reg. brev. quæst. 310.  
 12. ) BINGHAM Orig. Eccl. lib. VIII. c. 1.  
 13. ) Contra Celsum lib. VIII.  
 14. ) In Octavio.  
 15. ) Adversus Gentes lib. VI. vid. HERALDI animadvers. in eund. loc.



De Eccles. Origine &c. 7

CTANTIUS 16.) non negabant oppositionem Gentilium, quod Christiani non haberent Tempia: idque nomen in consuetudinem Christianorum vix prius admissum est, quam Tempia Idolorum vel everterentur, vel clauderentur 17.). Adhuc quarto sæculo ZENO Veronensis 18.) & HIERONYMUS 19.) Ecclesias Christianorum, & Sanctorum Basilicas opponunt Templis Gentilium. Ipsi autem allegati Christianorum Defensores mentionem faciunt de locis Cultui Divino inter Christianos

A 4

apta-

16.) Divin. Instit. lib. II. c. 2. vid. Jos. ISÆI Notæ ad eund. loc.

17.) Aliquoties tamen occurrit nomen Templi cum restrictione *Templum DEI*, uti apud S. IGNATIUM Epist. ad Magnes. LACTANTIUM Div. Inst. lib. V. c. 2. Item de Mortibus Persecutor. prope initium.

18.) Serm. de Continentia. Uxorem Christianam marito gentili nuptam alloquitur: *Proponamus itaque, ut sæpe contingit, in unum sibimet convenire diversæ religionis diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint Tempia.*

19.) Epist. 53. ad Ripar. Presbyt. adversus Vigilantium, quem adeo infanisse dicit, *ut cum Juliano persecutore Sanctorum Basilicas aut destrueret, aut in Tempia converteret.*



aptatis, dum ORIGENES 20.) commendat eos, qui ad ornatum Ecclesie prompti, erga Ecclesie cultum devoti sunt: ARNOBIUS 21.) queritur, immaniter conventicula dirui, in quibus summus oratur DEUS, pax cunctis & venia postulatur Magistratibus, Exercitibus, Regibus &c.: LACTANTIUS 22.) damnat feritatem cujusdam in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit; & impietatem DIOCLETIANI, qui Nicomediensem Ecclesiam in alto constitutam solo adæquari jussit 23.).

*Templorum  
utilitas:*

§. 6. Perspiciebant enim primorum etiam sæculorum Fideles non tantum utilitatem, sed & necessitatem deputandi loca aliqua ad Orationem, aliaque pietatis exercitia decentius & devotius peragenda, tum quod hujusmodi Ecclesie ab omni profano strepitu remotæ, sua structura & ornatu vivaciorem Ideam de DEI Majestate imprimant, & majore-

- 
- 20.) Homil. 10. in Josue.  
 21.) Adversus Gentes lib. IV. prope fin.  
 22.) Div. Instit. lib. V. c. II. add. EUSEB. hist. Eccl. lib. VIII. c. 23.  
 23.) LACTANT. de Mortib. Persecut. Cap. 12. De Ecclesiarum demolitione loquitur etiam EUSEBIUS loc. cit. c. 2.



*De Eccles. Origine &c.* 9

majorem erga Religionis nostræ mysteria reverentiam provocent; tum quod orantium animus frequenti-  
piorum concursu excitetur, & aliorum exemplo ad DEi cultum magis erigatur; tum quod populus commodius ibi instruatur, & Euchari-  
stia celebretur; tum quod deceat, Reliquias Martyrum honorifice in loco publico conservari; tum quod DEus preces Fidelium in loco peculiariter sibi consecrato fusas benignius suscipiat & exaudiat. His finibus respondent etiam nomina locorum sacrorum supra recensita 24.)

§. 7. Forma Templorum nec om- *Forma*  
ni tempore, nec in omni loco erat *antiqua.*  
eadem. Primis quidem sæculis furor persecutionis non permittebat splendida Templorum ædificia, qualia mox sub CONSTANTINO erecta fuerunt. Pro intelligendis diversis Canonibus, antiqui Templi structura explicanda est. Figuram exhibemus majoris Templi, quam BEVEREGIUS, & JOSEPHUS BING-  
A 5 HAM

---

24.) BELLARMIN. tom 2. controv. 4. lib.  
III. de Cultu Sanct. c. 4.



HAM delineat. 25. ) Partes ejus designabimus præcipue ex EUSEBII Panegyrico in laudem PAULINI Episcopi, qui in urbe Tyro magnificentum Templum struxerat, dicto 26.): & ex PAULI *Silentiarii* descriptione Ecclesiæ S. Sophiæ, ac commentariis in eandem editis a CAROLO DU FRESNE DU CANGE 27. ).

*Situs:*

§. 8. Situs Templorum plerumque talis erat, ut præcipuus introitus Occidentem, Sanctuarium autem Orientem versus spectaret. Multa tamen exempla docent, facile hunc situm inversum fuisse 28. ), ubi opportunitas loci id exigeret; vel veneratio vicini ædificii suaderet 29. ); vel Fana Idolorum, quæ ad

25. ) GUILIELM. BEVEREGIUS in Can. II. Concilii Nicæni I. BINGHAM Orig. Eccl. lib. VIII. c. 3.

26. ) Hist. Eccl. lib. X. c. 4.

27. ) Idem Commentarius auctorior continetur in ejusdem auctoris Constantinopoli Christiana lib. III.

28. ) *Ecclesia Antiochie Syriæ contrarium ab aliis Ecclesiis situm habet: nam Altare non ad Orientem, sed ad Occasum spectat.* SOCRATES Hist. Eccl. lib. V. c. 22.


29. ) Ex hac causa S. PAULINUS *Nolanus* morem communem non observavit. Sic enim








ad pag. 10.





- |   |   |
|---|---|
| 1. Propylæum .  | 15. Cancelli separantes Presbyterium a reliquo Templo. In medio Porta Sancta. |
| 2. Μεσάυλιον, seu Atrium: Locus Hiemantium .  | 16. Βύμα, Tribunal, Sacrum, Presbyterium, Chorus .                            |
| 3. Cantharus seu Phiala .   | 17. Altare seu Mensa Sancta .   |
| 4. Porticus: Locus Lugentium .  | 18. Ciborium .  |
| 5. Porta Major .  | 19. Thronus Episcopi .  |
| 6. Portæ Minores .  | 20. Throni Presbyterorum .  |
| 7. Januæ ex utraque parte Templi .  | 21. Scevophylacium, seu Diaconicum minus .                                    |
| 8. Porticus pro Lugentibus .  | 22. Prothesis, Oblationarium, vel Secretarium .                               |
| 9. Προναος, Narthex, latine Ferula: locus Catechumenorum, Audientium, Judæorum ac Gentilium .             | 23. Exedrae .   |
| 10. Introitus in Navem Ecclesie, græce Naos: in infima parte erant Substrati; in anteriore Consistentes . | 24. Scevophylacium, seu Diaconicum magnum .                                   |
| 11. Ambo, sive Pulpitum .   | 25. Baptisterium .  |
| 12. Gradus utrinque in Ambonem .  | 26. Piscina .   |
| 13. Spatium inferius pro maribus .  | 27. Pastophoria .   |
| 14. Ὑπερωα, seu Porticus superiores pro feminis .   | 28. Περιβολος, seu exterior ambitus .   |







De Eccles. Origine &c. II

ad Cultum Divinum traducta sunt ,  
alium situm habuissent 30. ). In ad-  
jecta figura primum occurrit Vesti-  
bulum magnum N. 1. ducens ad  
Atrium seu Aream , in qua stabant  
*Hemantes*, græce χειμαζόμενοι, per quos  
aliqui intelligunt Energumenos ; alii  
graviorum delictorum reos , qui non  
tantum communionem Ecclesiæ , sed  
etiam exteriori porticu ejecti , pœ-  
nitentiam sub dio agere jussi sunt ,  
omni aëris injuriæ expositi 31. ).  
In medio Areæ N. 3. fons erat posi-  
tus , quo se lavabant Ecclesiam in-  
gressuri : cui apud nos succedere  
aquæ lustrales 32. ). Area erat cir-  
cumdata Porticibus seu Peristyliis ,  
quæ columnis undique attollebantur,  
tecto-

Vestibulum.

---

enim scribit Epist. XII. ad Severum :  
*Prospectus Basilicæ non , ut usitatio-  
rior mos est , Orientem spectat , sed ad  
Dominum mei Beati Felicis Basilicam  
pertinet , memoriam  
ejus aspiciens.*

30. ) Vid. CARD. BONA *Rer. Liturg. lib. I.  
c. 20. n. 4.*

31. ) De his loquitur Concil. ANCYRAN.  
can. 17. TERTULLIANUS de Pudicitia cap.  
4. *non modo limine , verum omni Ecclesiæ te-  
cto submovemus &c.*

32. ) Vid. BARONIUS ad ann. 57. n. 107.  
seq. Du FRESNE *Constantinop. Christ.  
lib. III. descript. S. Sophiæ c. 22.*



tectoque muniebantur, humiliore tamen, quam fuerit tectum Templi. Hoc loco stabant Pœnitentes primæ classis, *Lugentes* dicti, interiori adhuc Templo exclusi, & Fidelium in Ecclesiam vadentium preces expetentes. Ejusmodi Porticus ponebantur etiam ad latera Templi N. 8. pro recipiendis *Lugentibus*, quando scilicet inferius atrium non erat ad hos usus aptatum.

*Narthex*: §. 9. Per Portas in Ecclesiam intronmissis primus occurrebat *Narthex*, seu *προναος* N. 9. ubi hærebant Catechumeni, ac secundæ classis Pœnitentes, qui plerumque *ἀκροωμενοι* sive *Audientes* dicebantur, eo quod hic stare & Hymnis, Scripturarum lectioni & sermonibus a Concionatore fieri solitis auscultare ipsis permiffum erat: quo facto sine ullis precibus vel solenni benedictione dimittebantur. In hoc Narthece fiebant etiam nocturnæ vigilæ: & defunctorum cadavera, dum illis iusta perfolvebantur, ante sepulturam retineri solebant. Huc Judæis, Gentilibus, Hæreticis ac Schismaticis nonnunquam veniendi copia fuit data, ut Scripturarum lectioni, & sermo-

mo-



monum recitationi interessent ad suam instructionem.

§. 10. Narthecem ab interiore *Navis*, Templo separabant repagula lignea: per horum Portas patebat introitus in *Navem* Ecclesiæ, seu Oratorium Populi. In hujus parte humiliore stabant tertii ordinis Pœnitentes, *substrati*, ita dicti a ritu prosternendi se ad pedes Episcopi vel Sacerdotis finito sermone, ut ab eo impositis sibi manibus benedictionem reciperent, & ante sacræ Communionis celebrationem discederent. An quarta Pœnitentium classis, quos *Consistentes* vocabant, loca distincta habuerint a reliquis fidelibus, non satis ex Autoribus colligitur. Certe in navi Ecclesiæ erant & consistebant, Catechumenis aliisque Pœnitentibus jam dimissis: nondum tamen oblationem facere, aut Sacrificii Altaris participes esse poterant.

§. 11. *Ambo* seu Pulpitum editior *Ejusque* dierat locus Lectoribus & Cantoribus, *versa* parte Clericisque in prima Cultus publici *tes*; parte, *Missa Catechumenorum* dicta, ministrantibus assignatus. Ex utroque latere erant Fideles, separati tamen mares a fæminis: & viri quidem inferiorem locum occupabant; fæminæ



minæ autem supra illos erant in edictioribus locis 33. ), quæ ὑπερωα, vulgo κατηχουμένα vocabantur, ubi viri prohibebantur morari cum faminis, etiam mariti cum uxoribus 34. ). Alicubi in istis Porticibus superioribus etiam Virgines separatim habebant locum a Nuptis 35. ). In Templo etiam S. Sophiæ Constantinopoli, Navis Templi continebat σωλειον, seu Soleam 36. ): quo nomine aliqui

33. ) In Ecclesiis, in quibus omnes inferiorem partem Templi occupabant, murus tamen, vel septa lignea separabant utrumque sexum: quem morem aliqui deducunt ex temporibus Apostolorum. Sed juxta S. CHRYSOSTOM. hom. 74. in Matthæ. *Apostolorum tempore una viri & mulieres orabant: & mulieres veræ mulieres, & viri similiter viri erant. Nunc vero e contrario, mulieres quidem meretricum sibi mores assumpserunt, viri autem furorem equorum imitantur.* Unde ubi Episcopus suo populo convenire judicaret, novitatis non esset arguendus, si exemplo S. CAROLI BORROMÆI talem separationem utriusque sexus institueret in Ecclesiis. Vid. BENEDICTUS XIV. de Synod. Dices. lib. VII. c. 54. n. 8. seq.

34. ) Synod. TRULL. can. 97. LEO Imperator Constit. 73.

35. ) S. AMBROS. ad Virg. laps. c. 6.

36. ) CODINUS de Officiis &c. cap. 17. n. 23. alique passim.



qui intelligunt Sedem Magistratum extra Cancellos Sanctuarii; alii limen Sanctuarii magis editum, in quo starent Subdiaconi & Lectores extra Cancellos, qui intimam partem Ecclesiæ, quæ *βημα*, Sacrarium, Sanctuarium, Locus Altaris, Presbyterium, Chorus, aliisque nominibus vocabatur, a reliquo Templo separabant, intromissis per Portas sanctas solis Episcopis, Presbyteris & Diaconis. Unde S. AMBROSIUS permittere nolebat, ut ipse Imperator ibi communicaret 37.).

§. 12. Positum ibi erat *Altare*, seu *Bema*: Mensa sancta, non parieti contigua, sed quæ circumiri posset. Hæc in splendidioribus Templis obtegebatur Umbraculo, Turri, Conopæo, seu *Ciborio*, ut Græci vocabant. Vel ex hoc Ciborio, vel ex Cancellis *Bematis*, vel potius utroque loco pendeabant vela, quæ Sacrificium Eucharisticum Consecrationis tempore obtegerent. Huic Ciborio imponebatur Crux, sub qua sæpe pendeat Columba Spiritum Sanctum adumbrans, in qua condebatur pyxis pro con-

37.) SOZOM. lib. VII. c. 24. THEODORET, lib. V. c. 17.



conservanda Eucharistia 38.) Unde videtur huic ipsi Pyxidi postea impositum nomen *Ciborii*. Retro Altare erat Thronus Episcopi, & ad utrumque latus Throni Presbyterorum in semicirculi forma. Tota series Thronorum pro dignitate sublimiorum ac inferiorum, vocabatur *Synthronus*. Suprema Bematis pars in semicirculum efformata, dici solet *Absis*, seu Concha Bematis. Intra Bema erat *Scevoophilacium*, seu Diaconicum minus N. 21. quo Diaconi Vestimenta, Vasa & Instrumenta ad Altare spectantia, ex majore Diaconico deferebant, ut ad sacram Liturgiam in promptu essent. In nonnullis Ecclesiis ex alia parte locus erat, ubi recipiebantur oblationes populi, ex quibus Panis & Vinum super Altari consecrandum sumebatur, vocaturque *Prothesis*, seu Oblationarium, vel etiam Secretarium N. 22.

§. 13.

---

38.) Talis Columbæ meminit MAMACHIUS Orig. Christ, lib. I. c. I. §. 9. n. 4. not. 2. Item Acta SSorum tom. II. Junii in Vita S. Basilii, cui affingitur Auto-AMPHILOCHIUS.



§. 13. *Exedra* N. 23. generali vocabulo nominabantur omnia ædificia extra Ecclesiam, intra exterioriorem tamen ejus ambitum comprehensa. Nonnunquam hæc vox tribuitur etiam Amboni intra Ecclesiam 39.). Inter *Exedras*, seu ædificia, Templi usibus aptata, præcipuam mentionem meretur *Baptisterium* 40.), non solum Fontem seu *Piscinam* continens, in qua homines mergebantur, & Baptisimum suscipiebant; sed etiam instruendis *Catechumenis* aptatum 41.), & in celebrioribus locis adeo

B am-

39.) S. AUGUSTIN. lib. XXII. de Civit. DEI. c. 8.

40.) Distincta fuisse *Baptisteria* pro viris & mulieribus, colligitur ex variis scriptoribus. Huc referunt locum S. AMBROSII in Epist. ad Marcellinam Sororem: *Symbolum aliquibus competentibus in Baptisteriis tradebam Basilica.* Aliæ tamen editiones legunt: *in Baptisterii tradebam Basilica.*

41.) Concilium ARAUSICANUM I. ann. 441. can. 19. statuit: *Ad Baptisterium Catechumeni nunquam admittendi, scilicet qui nondum satis instructi erant ad Baptisimum petendum. Admitti enim poterant Competentes, qui recte instituti Baptisimum petebant.* De his vid. S. AUGUSTIN. serm.



amplum, ut ibi Concilia celebrata 42. ), & plebem Constantinopolitanam tumultuantem, eo se recepisse legamus 43. ). Alia Exedra dicebatur Secretarium, sive Diaconicum Magnum, *Scevo-phylacium* seu Vestiarium, ubi curæ Diaconorum commissa servabantur Vestimenta, Vasa & Instrumenta Altaris. Vel huic conjunctum, vel ad similes usus destinatum erat *Gazophylacium*, ubi reponerentur Oblationes, quæ ad Altare Templi non ferebantur. *Pastophoria* videntur fuisse ædes a Clericis, *Ædituis* seu Custodibus Ecclesiæ habitatæ, cum Scholis, Bibliothecis &c. ab utroque Ecclesiæ latere. Omnia hæc ædificia cum ipsa interiori Ecclesia, nomine Templi veniebant, muroque erant cincta. Totus hic ambitus *Περιβολος* dicebatur, intra quem, præsertim in ipsa Ecclesia & Baptisterio, jus *Afyli* confugien-

---

ferm. de tempore alias 116. nunc rejectus in Appendicem tom. V. part. 2. ferm. 267. & CÆSARIO adscriptus.

42.) Concilium CONSTANTINOPOL. anno 394.

43.) PAULUS DIACONUS Histor. Miscell. lib. 19. in fin.



fugientibus dabatur. Ex hac antiqui Templi delineatione multorum Rituum Catholicorum antiquitas ostenditur.

§. 14. Hodierna Tempia Catholicorum præcipuam divisionem recipiunt ex diversitate eorum, qui illa regunt; aut functionum, quæ in illis peraguntur. Unde Ecclesia *Cathedralis* dicitur, in qua ipse Episcopus sedem habet, suæque obit Pontificia munia, ac solum ratione Jurisdictionis distinguitur a *Metropolitana*, *Prælatiali*, aut *Patriarchali* 44.) *Collegiata* vocatur, in qua Clericorum cœtus statis quotidie horis divina officia celebrat. Usus obtinuit, ut *Collegiata* dicatur Ecclesia Canonico-rum Sæcularium; *Conventualis* vero Religiosorum, quæ si Abbatem habet, *Abbatialis* quoque dicitur. *Diaconia* nomine veniunt Romanæ Ecclesiæ, quibus Diaconi Cardinales præfunt, ubi scilicet olim Diaconi Regionarii per singulas Urbis regiones residentes, stipem ministrabant

Hodiernorum

B 2 egen-

44.) De Ecclesiis Cathedralibus, earumque Privilegiis & Prærogativis Tractatum scripsit MICHAEL ANT. FRANCES DE URRUTIGOTI.



egentibus 45.). *Parœcia* 46.), vel corrupto nomine *Parochialis* Ecclesia est, in quam certæ viciniae habitatores pro susceptione Sacramentorum, & audiendo Verbo Divino tribut, atque descripti sunt: dicitur etiam *Baptismalis* ob fontem aquæ ad Baptismum sanctificatæ: ejus fines & limites, quos legitima probatione, vel alias indubitata fide constat Ecclesiastica ordinatione statutos, non præscribuntur 47.).

*Templorum* §. 15. Ecclesia *Mater* seu *Matris* nonnunquam illa dicitur, a qua aliæ postea sunt propagatæ 48.). Unde *Hierosolymitana* a secundo Generali Concilio Constantinopolitano 49.) *Mater* omnium Ecclesiarum in toto terrarum orbe nuncupatur: & *Arelatenjis* *Mater* Gallicarum Ecclesiarum

45.) BARONIUS in notis ad Martyrol. 8. August.

46.) Juxta Etymologiam J Cti. in Leg. 239. §. 2. ff. de Verb. Signif.

47.) C. 4. de Paroch. & alienis Parochian. Ex nomine Parœciæ deducunt Germani vocabulum *Pfarr*.

48.) C. 3. de Eccles. ædif.

49.) Epist. Synod. ad Damasum apud THEODORET lib. V. c. 9.



rum 50.) Frequentius *Matricis* Ecclesie nuncupatio denotat *Cathedralem* sive Episcopalem 51.) , opponendo eam minoribus Titulis, sive Ecclesiis Parochianis, quæ singulos Presbyteros habent, & dictæ reperiuntur Ecclesie Diocesane 52.) Eodem nomine significatur Ecclesia primaria opp. di, ac præ aliis dignior 53.) : sape etiam Ecclesia Parochialis, vel intuitu Fontis Baptismalis, ex quo generantur Fideles; vel intuitu minorum Ecclesiarum ipsis unitarum, quæ proin *Filia*, seu *Filiales* dicuntur. *Curat* Ecclesia dicitur cujus Rector curam habet animarum, saltem interiorum, uti Parochialis & alia multæ: vel etiam exteriorum Jurisdictionem in foro contentioso, ut Abbatialis, Collegiata &c.

§. 16. Ecclesia alia est *Sæcularis*, *Varia* alia *Regularis* ex conditione Personarum: potest tamen esse beneficium Regulare in Ecclesia sæculari, prout

B 3 con-

50.) Libellus precum Episcoporum Gallorum ad Leonem apud BARON. ann. 450.

51.) C. I. de Præscript. C. 22. de Verb. Signif.

52.) Concil. TARRACON. cap. 8. celebratum ann. 516.

53.) Clement. I. de Sent. Excom.



contingit, quando Ecclesiæ Parochiales tenentur per Parochum Regularem. Monasteria 54.) nunc vocantur Ecclesiæ quædam majores, in quibus olim Canonica vita, Monastica disciplinæ æmula, vigeat. Si autem Monasteriis, quæ a Religiosis incoluntur, unitæ sint aliquæ Ecclesiæ, in quibus Cura animarum erga populum exercetur, eæ in Jure Canonico nominantur *Capellæ Monachorum*, quarum Rectores, etiam Religiosi, ab Episcopo approbantur, & visitantur, nisi Abbatum Jurisdictio quasi Episcopalis, aut singulare privilegium obstet 55.). Hoc nomine etiam veniebant Sacella exteriora, seu Oratoria Religiosorum ac Monialium, ad quæ Laicis quoque patebat accessus. Postquam autem Regulares cœperunt administrare Sacramenta Sæcularibus, & in iisdem Sacellis prædicare, adscripta illa sunt in numerum Ecclesiarum. Aliæ *Capellæ*,

---

54.) Germanicè *Minster*.

55.) De hac subjectione vid. Constitutio BENEDICTI XIV. quæ incipit *Firmandis*, data 6. Novemb. 1744. Item Geminæ Dissertations de Parochialitate Primitiva Treviris editæ 1752.



*De Eccles. Origine &c.* 23

*pella*, seu *Sacella* & *Oratoria publica* passim visuntur, quo nomine veniunt minores Ecclesiæ non Parochiales, Cultui Divino dedicatæ, ad quas aditus permittitur omnibus fidelibus ex publica via.

§. 17. Ex hucusque recensitis Ec- *Divisiones.*  
clesiis aliquæ sunt *Exemptæ* a Jurisdic-  
tione Episcopi, vel Archiepiscopi :  
aliæ *non Exemptæ*. Omnes intra fi-  
nes Dioceseos sitæ, præsumuntur  
subjectæ Episcopo, nisi exemptio-  
nem ostendant : non tamen omnes  
intra fines Parochiarum sitæ Eccle-  
siæ præsumuntur subjectæ Parocho,  
nisi iste Jus in illas legitime probet.  
Denique in ædibus Nobilium passim  
visuntur *Oratoria privata*, absque  
autoritate Episcopi ad usus pios or-  
nata (§. 2.)

TITULUS II.

DE ÆDIFICANDIS ET REPARAN-  
DIS ECCLESIIIS.

*Conf. Decretal. lib. 3. tit. 48.*

§. 18.

IMPERATORIBUS ad Christum conver- *Ad ædifi-*  
sis, tot ubique Ecclesiæ ædifica- *candas Ec-*  
ri *clesias*

B 4



ri cœperunt, ut modum poni oportuerit, ne scilicet ædificarentur sine autoritate Episcopi 56.). Pontificale Romanum 57.) antiquos Canones his verbis complectitur: *Nemo Ecclesiam ædificet, priusquam Pontificis iudicio locus & atrium designentur, & quid ad luminaria, quid ad Rectoris, Ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiam dotem pertineat, definitur; & per eum, vel ejus autoritate per Sacerdotem Crux in loco (ubi debet esse Altare) figatur, & lapis primarius (quadratus & angularis) in fundamento ponatur.*

*requiritur  
autoritas  
Ecclesiastica,*

§. 19. Oratorii quidem privati pro sua devotione construendi facultatem quilibet habet: in illo tamen nec Sacrificium Missæ offerri, nec Baptismus conferri debet absque autoritate Episcopi 58.), aut singulari

56.) Conc. CHALCEDON. can. 4. JUSTINIANUS Novell. 67. Capitular. Regum Francorum lib. V. c. 382. NICOLAUS Papa c. 8. dist. I. de Consecr. videtur ad novam constructionem Basilicæ requirere præceptionem Apostolicæ Sedis.

57.) Part. 2. De Benedict. & Imposit. primarii Lapidis.

58.) C. 33. & 34. dist. I. de Consecrat. lib. V. Capitular. c. 382.



Oratoria autem publica, Sacella, aut alia Ecclesiae ita admitti possunt, ut populus a Parochiali Ecclesia nimium non abstrahatur: & constructio fieri non deprehendatur quæstus potius, quam solidæ devotionis causa! 60. ). Nova Ecclesia Parochialis intra fines alterius Parochiæ erigi nequit sine rationabili causa. Talis autem censetur esse, quando ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt 61. ). Citari & audiri debet Rector, Patronus, alii- que Ministri veteris Ecclesiae, aut quorum interest: si isti consentire renuant, & erectio tamen novæ Parochiæ necessaria judicetur ab Episcopo, poterit etiam illis invitis procedi. Ad erectionem Ecclesiae Collegiatae requirunt communiter auto-

B § rita-

---

59. ) GREGORIUS XIII. Constit. *Decet Romanum.* concessit pro Collegiis & Residentiis Societatis JESU.

60. ) C. 10. dist. 1. de Consecr.

61. ) C. 3. de Eccles. ædif. Conc. TRID. Sess, XXI, c. 4. de Reform.



ritatem Romani Pontificis 62.) : multo magis ad Ecclesiam Cathedralē 63.), omnemque aliam novam constituendam, in qua sit Dignitas Ecclesiastica 64.) : ad Regularem autem licentia Episcopi 65.), in cujus Diœcesi ædificant Religiosi etiam Exempti.

*Et competens Dos.*

§. 20. Ædificari non debet Ecclesia sine competenti dote, sufficiente pro alendis necessariis Ministris, Luminaribus, Paramentis & conservanda Fabrica. Competens vero dos secundum diversitatem Ecclesia-

62.) LOTTERIUS de Re Benefic. lib. I. q. 14. n. 38. seqq.

63.) FRANCES de Eccles. Cathedral. cap. 3.

64.) LOTTER. loc. cit. q. 5. n. 14.

65.) Concil. TRIDENT. Sess. XXV. c. 3. de Regularib. Facultatem novos Conventus Mendicantium erigendi, olim BONIFACIUS VIII. reservaverat Sedi Apostolicæ. C. un. de Excess. Prælat. in 6. Quamvis igitur hodierno jure requiratur licentia Ordinarii, non tamen censetur exclusa necessitas consensus Pontificii. Hic consensus non debet semper de novo peti ab iis Religiosis, qui generale habent Privilegium ædificandi Monasteria: his enim sufficit sola licentia Ordinarii. MIRANDA Manual. Prælat. Regul. tom. I. q. 33. art. I.



clesiarum & locorum consideratur. In Ecclesia Cathedrali debet provideri Mensæ Episcopi, Capitulo, aliisque Ministris. Collegiata dotari debet secundum numerum Collegiatorum, cum Cantoribus, & Lectoribus. Aliæ Ecclesiæ inferiores dotem habere debent pro Rectore & Ministro: item pro recipiendis hospitibus & Juribus Episcopalibus persolvendis 66. ).

§. 21. Circa novas Ecclesias con-*In Germa-*  
struendas in Germania, præter *Jusnia obser-*  
commune, in multis Provinciis fa-*vatur Pax*  
vere quoque debet Instrumentum *Westphali-*  
Pacis Westphalicæ, ne ab Acathe-*ca,*  
licis nuntietur novum opus. Juxta  
Pacis hujus articulos Domino Ter-  
ritoriali Catholico competit *Jus Re-*  
*formandi Exercitium Religionis* in locis  
Aatholicis sibi subjectis, ita ut in  
hujus Juris exercitio impediri eum  
non oporteat 67. ). Nisi inanem um-  
bram sub nomine *Juris* oblatam Prin-  
cipibus dicere velimus; tenendum  
firmiter est, eos *impediri* non posse,  
quo minus Ecclesiam, Catholicis ri-  
tibus

66.) Vid. PAX JORDAN Elucubr. lib.  
V. tit. 8. a num. 15.

67.) J. P. W. ART. V. §. 30.



tibus destinandam ædificent in Territorio suo A catholicico, modo non turbent exercitium Religionis anno 1624. observatum in illis locis, pro quibus Instrumento Pacis inserta est ordinatio *Hoc non obstante* &c. 68.) ubi continetur Regula exercitii A catholicici pro quibusdam Regionibus, quo salvo Princeps Catholicus introducere potest exercitium suæ Religionis 69.), hujusque Juris exercendi regula & norma ipsi non est alia, quam doctrina universalis Ecclesiæ, cui, quantum in se est, Princeps exigente Jure Naturali & Divino, tenetur conformare exercitium Religionis suorum subditorum. Hic sensus Pacis Westphalicæ adeo clarus & apertus videtur, ut credibile non censeatur, animo serio aliud sensisse Viros cæteroquin prudentes, qui

- 
- 68.) Ibid. §. 31. Historia hujus famosi Paragraphi videri potest in recentissimis libellis Ratisbonæ editis: Documenta Historica de Jure Reformandi. Item Grundriß des sogenannten Juris Reformandi. Item Bau-Modelle. Item Frage, ob ein Römisch-Catholischer Fürst &c.
- 69.) Vid. Rittmeyer Vindiciæ Juris Reformandi.



qui sub adscitio nomine *Corporis Evangelicorum* varia circa hoc negotium *Conclusa* fecerunt 70. ), & dogmata quædam suo calculo firmata Professoribus *Academiarum A catholicarum* obtruserunt 71. ). Non opposuerunt se *A catholici*, quando Principes quidam suæ Religionis, Catholicis permiserunt ædificationem Ecclesiæ in civitatibus suis *acatholicis* 72. ) : cur non id liceat quoque Principi *Catholico*? an non æque *conventum est*, nulli statui *CATHOLICO* jus, quod ipsi ratione territorii & superioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere 73. ).

§. 22. Eodem studio, quo *Pro reparandis Ecclesiis* movetur Ecclesiarum ædificatio, *Pro reparandis Ecclesiis* moveri etiam debet earundem *Reparatio*, si quid damni ex vetustate, vel injuria temporum passæ sint.  
Unde

---

70. ) Apud Schauroth tom. 3. V. *Simultaneum* a pag. 593.

71. ) Ibid. tom, II. pag. 587.

72. ) Id concesserunt Electores *Brandenburgicus & Hannoveranus*: nec de Religionis gravamine conquesti sunt *acatholici*. Quando autem eosdem imitatus est *Comes de Wied*, ingens strepitus secutus est.

73. ) Cit. Art. V. §. 30.



Unde antiqui Canones, qui Redituum Ecclesiasticorum tres partes Episcopo, Clero & pauperibus attribuant, quartam partem *Fabricæ*, id est, conservationi & reparationi ædificii addicunt 74.). Ubi autem Reditus *Fabricæ* destinati non reperiuntur, Concilium Tridentinum 75.) distinguit inter Ecclesias Parochiales & alias inferiores: de his quidem statuit, ut Episcopi transferre possint Beneficia simplicia, etiam Juris Patronatus ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant restaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias Ecclesias locorum eorundem seu viciniorum, arbitrio suo, cum omnibus emolumentis & oneribus prioribus Ecclesiis impositis.

*Servanda est Constitutio Concilii Tridentini.*

§. 23. Cum autem ad diruendas Ecclesias Parochiales tam facile procedi non possit, sacra Synodus subjungit, ut Episcopi Parochiales Ecclesias etiam Juris Patronatus sint, ita collapsas refici & instaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus: qui si non fuerint

74.) C. 30. 31. XII. q. 2.

75.) Sess. XXI. c. 7. de Reform,



De Eccles. edificand. &c. 31

fuerint sufficientes, omnes Patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniore Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi. Hæc Synodi Constitutio totam antiquorum Canonum doctrinam de hac materia comprehendit & declarat, debetque accurate observari, nisi consuetudo, vel statuta Synodalia alium concurrenti ordinem præscribant, Ecclesiæ æque utilem.

§. 24. Pro aliqua tamen declarata *Etiam ad* tione *Not. I.* nomine Ecclesiæ hoc loco *ædes Paro-* venire etiam ædes habitationi *chiales* Parochi vel Beneficiati destinatas; non tamen horrea, stabula &c. utpote quæ destinantur ad emolumenta œconomica, & hinc etiam ex iis conservari ac reparari debent. Si Beneficiati comparantur Usufructuario, tenentur ad modicam refectionem ædium Parochialium, ad sarta tecta  
ha-



Reparan-  
das,

habenda &c. 76.) Not. II. Reparare seu reficere esse idem, ac quod corruptum est, in pristinum statum restaurare: contineturque hoc verbo, tegere, substruere, sarcire, adificare, item advehere, adportareque ea, quæ ad eandem rem opus essent 77.). Imo in præfenti negotio Reparationis obligatio extenditur etiam ad novæ Ecclesiæ constructionem, & ad veteris Ecclesiæ, aucto incolarum numero, ampliationem 78.).

Concurrant  
Patroni,

§. 25. Not. III. Juxta communio-  
rem sententiam teneri Patronos concurrere ad reparandam Ecclesiam, etiamsi non percipiant alia emolumenta, quam omnibus Patronis communia, scilicet honorem præcedentiz, Jus præsentandi & se alendi, ad inopiam perveniant 79.). Not. IV

Præ

76.) L. 7. C. de Ufufuct. FLAMINIUS  
PARISIUS de Resignat. Benef. lib. III  
q. 15,

77.) L. I. §. 6. ff. de Rivis.

78.) PETRUS PECKIUS de Ecclef. reparand. c. 2. n. 2.

79.) A MOSTAZZO de Causis Piiis. lib. V  
c. 6. n. 25. ROTA Romana post allegat.  
44. PITONII de Controvers. Patron. n. 6.  
si omnino sit diruta Ecclesia, & Patro



*De Eccles. ædificand. &c. 33*

Præ omnibus aliis teneri ipsum Beneficiatum, si habeat redditus super-Beneficiati, fluos 80. ), cum hi Reditus semper censeantur subiecti divisioni illi, quam fieri præcipiunt Canones in sustentationem Episcopi, Cleri, Pauperum & Fabricæ, pro singulorum necessitate 81. ). Unde possunt Episcopi concedere, ut pinguium Beneficiorum Ecclesiæ, ad quas reparandas magna pecuniarum summa requiritur, mutuum contrahant, ad quod extinguendum Beneficiati singulis annis certam portionem tribuant 82. ).

§. 26. *Not. V.* Etiam Decimato-*Decima-*  
res Laicos compelli posse ad concur-*tores,*  
rendum : quocunque enim titulo  
jus Decimandi ad eos transierit, semper  
excepta censetur extrema Eccle-  
siæ

C

siæ

---

nus interpellatus reædificare nolit, possit  
Jus Patronatus in alium, qui sumptus sub-  
ministret, transferri. MARTA de Juris-  
dict. part. II. c. 48. n. 4.

80. ) C. 1. de Eccles. ædific.

81. ) C. 26. 27. 28. 30. XII. q. 2. JOAN.  
GUTIERREZ Alleg. 10. ALVAR. VALA-  
SCUS Consult. 179. n. 12. seqq.

82. ) Hæc consuetudo viget in Diœcesi Ra-  
tisbonensi quoad ædes Parochiales de no-  
vo ædificandas.



sia necessitas. Si autem Decimæ, vel alii Reditus Ecclesiastici ad pias quasdam causas sint applicati, non potest ex illis tantum exigere, ut illa causæ piæ grave dispendium patiantur, sicuti etiam Ministris Ecclesiæ debet salva esse congrua sustentatio. *Not. VI.* Si qui fundi a dandis Decimis sint immunes, non possunt quidem eorum possessores æquali portione inter Decimatores onerari, sed tamen si juxta Concilium Tridentinum collectatio deveniret ad Populum, isti possessores fundorum immunitium ante reliquos, & reliquis largius conferre deberent, nisi hanc ipsam exceptionem cum magno onere suo, & emolumento Ecclesiæ acquisivissent.

*Heredes  
Ec.*

§. 27. *Not. VII.* Si Beneficiarius reparationem, ad quam obligatus fuerat, neglexit, tenentur ejus heredes ad ommissam reparationem, in quantum ad eos pervenit 83.)

*Not.*

83.) PETRUS PECKIUS de Ecclesiæ repar. c. 18. SALGADO de Regia Protectione p. III. c. 5. n. 22. CHRISTINÆUS Decis. Belg. Vol. II. Decis. 25. SPERELLUS de Jurisprudentia men part. I. decis. 67. n. 52. eam doctrinam



*De Consecrat. Eccles. &c. 35*

Not. VIII. Ad reparandam Ecclesiam  
Cathedralem præcipue teneri Episco-  
pum & Canonicos 84. ). His non  
sufficientibus posset etiam a reliquis  
Clericis peti subsidium Charitati-  
vum.

TITULUS III.

DE CONSECRATIONE, POLLU-  
TIONE ET RECONCILIATIO-  
NE ECCLESiarUM ET COE-  
METERIORUM.

Conf. *Decretal. l. 3. t. 40. ex*  
*Sext. l. 3. t. 21.*

§. 28.

**T**emplum esse *edificium DEO con-*  
*secratum* diximus : necessarium *Templa*  
igitur est ad rationem Templi, ut  
Cultui Divino dedicetur ac destine-  
tur. Non enim decet Divina Offi-  
cia

C 2

cia

---

nam de obligatione hæredum in praxi  
nullatenus obtineri posse, nec veram in  
Jure existimat : sed potius Bona ipsorum  
Beneficiorum cum isto onere ad successo-  
rem transire credit. In Germania ad-  
stringi hæredes experimur.

84. ) FRANCES de Eccles. Cathedr. c. 13.  
A MOSTAZZO de Causis Pius. lib. V. c. 6.  
n. 66. seqq.



cia in locis profanis celebrari: satius est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet nisi pro summa contingat necessitate 85.

Unde recens extructa Ecclesia, quam citius fieri poterit, consecranda 86.

*Ad Cultum  
Divinum*

§. 29. Dedicatio & Consecratio Templi promiscue sumi solet: per utramque enim intelligitur ædificii communi usu ad cultum religiosum separatio. Id autem etiam primis Ecclesiæ temporibus, ad imitationem Templi Hierosolymitani, non sine certis ritibus & solemnitate, saltem per speciales preces & gratiarum actiones factum esse, omnino certum videtur; quamvis æque certum sit, ejusmodi ritus diversis temporibus & locis fuisse varios, & successu temporis auctos.

*More antiquissimo*

§. 30. Restauratis, recensque ædificatis sub Constantino M. Ecclesiis, optatissimum spectaculum omnium oculis præbuerunt Consecrationes Templorum per singulas Civitates, Episcoporum frequentes Conventus, & peregrinorum ad exeteris regionibus ad ejusmodi solemn-

85. ) C. II. dist. I. de Consecr.

86. ) C. fin. de Consecr. Eccles.



*De Consecrat. Eccles. &c. 37*

lemnitatem accedentium concursus 87. ). Tricennalia etiam sua Constantinus Imperator celebriora reddidit per Consecrationem Templi, quod sepulchro Domini Hierosolymis erat impositum, convocatis ad eam solemnitatem plurimis Episcopis, antea Tyri in Synodo congregatis 88. ). Concilium insuper Antiochenum anno Christi 341. ex nonaginta Episcopis per causam Encœniorum 89. ) congregatum fuit, sub prætextu scilicet dedicandi splendidissimum Templum, quod *Dominicum aureum* appellabatur, a Constantino ædificari cœptum, & a Constantio ejus Filio absolutum. In ejusmodi Dedicacionibus habebantur a pluribus Episcopis Panegyres, quarum adhuc extant nonnullæ 90. )

C 3

Su-

87.) EUSEBIUS Hist. Eccl. lib. X. c. 3.

88.) Idem in Vita Constantini lib. IV. c. 43. seqq.

89.) S. ATHANASIUS de Synodis.

90.) Apud EUSEBIUM Hist. Eccl. lib. X. c. 4. S. AMBROSIUM tom. V. serm. 26. de Sanctis. S. GAUDENTIUM serm. 17. die Dedicat. Basilicæ SS. 40. Martyr. S. AUGUSTINUM edit. nov. tom. V. serm. 336. seqq. ubi etiam in Appendice num. 229.



Supereft etiam formula Precum, quas fundebat S. Ambrosius, dum dedicabat Ecclesiam sacrarum Virginum 91. ).

Sunt consecranda.

§. 31. Solemnis Consecratio Ecclesiarum, propria est muneris Episcopalis 92. ) : potest tamen au-  
to-

229. seqq. recensentur sermones S. CÆSARII Arelatensis, seu alterius, qui antea S. Augustino adscripti fuerant, & sub eius nomine adhuc unus recitatur in Breuiario Romano in festo Dedicationis.

91. ) Hortat. ad Virginit. in fine. Formula his verbis est concepta : *Te nunc Domine precor, ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spirituales, quibus sensibile tibi in singulis Templum sacratur, quotidianus Præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua suscipias misericordia. Fiat tibi in odorem suavitatis omne Sacrificium, quod in hoc Templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cum ad illam respicis hostiam salutarem, per quam peccatum mundi huius aboletur, respicias etiam ad has piæ hostiæ castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio, ut fiant tibi in odorem suavitatis hostiæ acceptabiles &c.*

92. ) Jam apud Ethnicos Dedicationes Templorum pertinebant ad Jus Pontificium. Vid. GUTHERIUS lib. III. de Veter. Jur. Pontif. c. 11. 12. 13. Apud Christianos etiam



*De Consecrat. Eccles. &c.* 39

toritate Summi Pontificis committi Abbatibus 98. ). Peragitur ab Episcopo loci, in quo est Ecclesia 94. ), decentius diebus Dominicis, vel in Sanctorum solemnitatibus, quamvis de Jure fieri possit omni die 95. );

C 4

præ-

etiam Chorepiscopis interdicta erat Consecratio Ecclesiarum. Concil. MELDENSE ann. 845. can. 44.

93. ) Hierarch. Eccl. §. 468. not. 21. GRATIANUS c. 4. 5. 6. dist. I. de Consecrat. refert capita quædam ex GELASII Pape Epistola ad Episcopos Lucaniæ, ubi traditur, Ecclesias consecrari non posse sine Romani Pontificis autoritate. Intelligunt hoc aliqui de quibusdam Italiæ Provinciis, singulari jure Pontifici subiectis, cum Epistola sit scripta ad Episcopos per *Lucaniam*. FLEURY Hist. Eccl. lib. 30. n. 34.

94. ) Ex concessione PAULI III. Const. *licet debitum*. ann. 1549, possunt Regulares Societatis JESU facere benedici aut consecrari Ecclesias suas cum cœmeteriis, & primum lapidem poni per quoscunque Episcopos, si Diocesani ultra quatuor menses id facere distulerint. Ægerrime ferebant Episcopi Galliæ, dum Romanus Pontifex per Legatum suum consecravit Ecclesiam in Turonensi Diœcesi, invito loci Episcopo. Vid. GLABER RODULPHUS Hist. lib. II. c. 4.

95. ) *In Diœcesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem*



præmissio pridie jejunio, quod servare debet tum Episcopus consecrans, tum ii, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari. Chrismate inunguntur duodecim cruces in parietibus depictæ, aliæque adhibentur ceremoniæ in Pontificali Romano descriptæ. Consecrationis hujus solemnitas singulis annis celebranda est 96.), eo tamen ritu, qui ad devotionis augmentum, non autem ad corruptelam morum tendat. In ipsa quidem die Consecrationis Episcopus integrum annum Indulgentiæ illam visitantibus elargitur: pro die vero anniversaria in perpetuum quadraginta dies, five ab uno solo, five a pluribus Episcopis deditur 97.). In dubio Ecclesia non præsumitur consecrata, nisi sit Cathedralis: ad probationem tamen factæ Consecrationis sufficit levis ratio, utpote in re favorabili. Si tamen nullum probabile

---

*tionem impendere tam diebus Dominicis, quam privatis. C. 2. de Consecr. Eccl. In Concil. CÆSARAUGUSTANO III. ann. 691. c. 1. prohibetur, ne Consecratio Ecclesiæ fiat extra dies Dominicas.*

96.) C. 16. dist. 1. de Consecr.

97.) C. 14. de Pœnit. & Remiss. C. fin. eod. in 6.



hile indicium extet, Consecrationis munus impertiri sine scrupulo potest: nec talis trepidatio facit iterationem; quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum 98.).

§. 32. Si ante Consecrationem *vel saltem* Divina Officia in Templo celebrari *benedicen-* oporteat, debet saltem adhiberi *ejus-da-*

*dem Benedictio.* Hæc nonnunquam confunditur cum Consecratione: revera autem ab eadem differt. Nam I. Benedictio solum præparat Ecclesias ad Consecrationem, & constituit in eo statu, ut possint inservire functionibus sacris, dum commodo tempore consecrentur. II. Benedictio fit sine unctione. III. Aqua, quæ in Benedictione adhibetur, nihil aliud est, quam aqua benedicta communis & ordinaria: in Consecratione autem miscetur sale, cinere & vino. IV. Consecrationem prævertere debet dies jejunii tum ex parte Episcopi, tum ex parte populi: secus in Benedictione. V. Episcopus Consecrator jus habet tri-

C 5            buen-



buendi Indulgentias: secus in Benedictione. VI. Soli Episcopi regulariter faciunt ceremoniam Consecrationis: Benedictio autem plerumque a simplicibus Sacerdotibus, ad hoc deputatis ab Episcopo, peragitur 99.).

*Idem potest fieri in Oratoriis.* §. 33. Porro quamvis sacri Canones jubeant consecrari Ecclesias, quam citius fieri potest: nihilominus nullus Canon videtur imperare, prout etiam nullus prohibet Consecrationem Oratorii publici; sufficit enim hæc Oratoria benedici. Si autem Oratorium privatum consecraretur ab Episcopo, eo ipso cessaret esse privatum: nam Consecrationis actus repugnat statui privati Oratorii 100.).

§. 34.

99.) GIBERT Corp. Jur. Canon. tom. II. tract. poster. de Eccles. tit. 15. fol. 536.  
100.) LOTTERIUS de re Benefic. lib. I. q. 5. n. 66. Talia Oratoria nonnunquam consecrantur etiam intra ædes privatorum, prout Ingolstadii adhuc visitur Sacellum domesticum celeberrimi Professoris Eckii rite consecratum. Oratoriis Principum idem honor sæpius impenditur, prout ibidem Oratoria consecrata sunt in arce Principum Bavariæ, quæ ratione situs sui essent Oratoria privata.



*De Consecrat. Eccles. &c.* 43

§. 34. Ecclesiæ consecratæ nomen *Nomen im-*  
*imponitur ab aliquo Patrono, seu Ti-* *ponitur a*  
*tulo, quo ipsa nuncupatur, & ab aliis Patrono,*  
Ecclesiis proprio velut nomine di- *seu Titulo.*  
gnoscutur. Per *Patronum* intelligitur  
Persona aliqua, nempe Angelus vel  
Homo Sanctus, cujus nomine nun-  
cupatur Ecclesia e. g. B. Virginis, S.  
Michaëlis, S. Mauriti. *Titulus* vero  
Personam proprie non sonat; sed  
potius *Mysterium*, seu rem quamcun-  
que ad Personas pertinentem: quo  
*Mysterio* seu re, Ecclesia ipsa veluti  
inscribitur & appellatur. e. g. SS. Tri-  
nitas, Nativitas Christi, Assumptio  
B. Mariæ, Sacrosancta Hostia, Sacer  
Sanguis, Inventio S. Crucis &c. Pri-  
mis temporibus pleræque Ecclesiæ  
nomen gerebant a SS. Martyribus:  
dein etiam a SS. Confessoribus i.),  
modo sint legitime vindicati, seu Ca-  
nonizati.

§. 35.

i.) Ad initium sæculi quinti supra Corpus  
B. MARTINI Basilicam parvulam in Ur-  
be Turonensi ædificavit BRICCIUS ejus  
successor: aliam dein ampliorem PER-  
PETUUS ejusdem Sedis Antistes, ut nar-  
rat GREGORIUS Turonens. Hist. Franc.  
lib. X. c. 31. JUSTINIANUS Imperator  
Templum nobilissimum, ac plane mirabi-  
le dedicavit S. ANNÆ, ut narrat PRO-  
COPIS



*Ecclesia  
execrata,*

§. 35. Sicut Personæ, quæ acciperunt Benedictionem aut Consecrationem, semper manent consecratæ, quamdiu vivunt: ita etiam Ecclesiæ, quamdiu manent moraliter eadem. Facta autem tali mutatione, nempe Templo in totum, aut pro majori parte destructo, etiam si id fiat ex intentione novæ reedificationis; aut etiam incrustatione interioris parietis sublata, dicitur contingere *Execratio*, & amitti Consecratio.

*Vel polluta,*

§. 36. Manente etiam Consecratione possunt Ecclesiæ perdere effectum Benedictionis aut Consecrationis, qui est, ut possint in eisdem sacræ functiones exerceri: hoc autem contingit per *Pollutionem* Ecclesiæ, si ea sit publica. Pollui Ecclesia dicitur I. Injuriosa humani sanguinis effusione, vel Homicidio 2.) II. Luxuriosa humani seminis emissionem 3.) III. Sepultura cadaveris pagani vel  
ex-

COPIUS Cæsareensis de ædific. Justiniani lib. I. c. 3. item S. NICOLAO. ibid. c. 6. videri potest CAROLUS GUYET Heortologiae lib. I. c. 5.

- 2.) C. 4. de Consecrat. Eccl.  
3.) C. un. eod. in 6.



*De Consecrat. Eccles. &c. 45*

excommunicati 4. ). IV. Quando ab Episcopo notorie excommunicato contingit Dedicatio. Hanc ultimam Pollutionis speciem non expresse tradunt Canones : aliqui tamen sustinent ex paritate, quia sicut corpus mortuum excommunicati polluit sacra loca ; fortius polluta debent censerī, quando Consecratio vel Benedictio transit & perficitur per manus talis excommunicati 5. ). Quidquid sit de hoc peculiari casu, id certum est, quod non omnis *Profanatio* Ecclesie sit talis Pollutio, de qua hoc loco loquimur : nam sine expresso Canone non debemus Ecclesiam Pollutam dicere. Ubi tamen consuetudo viget reconciliandi Ecclesias, per furtum, aliudve crimen atrox, per profanam inhabitationem, aliove modo profanatas, servari ea debet : potestque talis reconciliatio etiam Ecclesie consecratæ, demandari simplici Sacerdoti 6. ).

§. 37.

- 
4. ) C. 27. 28. Diff. I. de Consecr. C. 12. de Sepultur. C. 7. de Consecr. Eccl.  
5. ) PAX JORDAN lib. V. tit. 12. n. 132. seqq.  
6. ) HOSTIENSIS in Summ. de Consecr. Eccl.



Reconci-  
liari debet.

§. 37. In polluta Ecclesia, donec reconcilietur, non peraguntur Divina officia. Quamvis enim Ecclesia, cum sint sanctæ, nec peccare queant, revera non polluantur: ad terrorem tamen habentur tanquam polluta, ut fideles detestationem concipiant sceleris, quo temerarius quispiam fœdavit Ecclesiam, quantum in se erat; inducanturque ad celerem expiationem proprii peccati, & ad id in posterum evitandum. Reconciliatio Templi ab Episcopo consecrati, propria est Episcopi 7.), nisi Summus Pontifex concedat singulare Privilegium, vel Episcopo, ut committat reconciliationem inferiori Sacerdoti, aqua ab Episcopo benedicta 8.);

vel

---

Eccl. n. 9. PIASECIUS Prax. Episcopo  
part. I. c. 2. art. 4. n. 7.

7.) C. 9. de Consecr. Eccl.

8.) Quamvis GREGORIUS IX. cit. c. 9. dicat, consuetudinem reconciliandi Ecclesias per Sacerdotes simplices, esse corruptelam: nihilominus dicitur in Gallia hæc consuetudo vigere. Vid. GIBERT loc. cit. fol. 540. quia talis Reconciliatio est quidem Ordinis Episcopalis: eam tamen dicunt Jure tantum Ecclesiastico tantum fuisse factam, & ideo ad eam posse simplicem Sacerdotem deputari.



vel ipsi Sacerdoti, ut reconciliet Ecclesias ex delegatione Episcopi: quale Privilegium habent multi Prælati Regulares reconciliandi Ecclesias suas pollutas, etiam aqua a se benedicta, præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non possunt 9.) Reconciliatio autem Templi nondum consecrati, sed tantum benedicti, delegari cuidam Sacerdoti potest ab Episcopo absque speciali privilegio. Aqua ad Reconciliationem Ecclesiæ adhibenda, communiter vocari solet *Gregoriana*, forte a Gregorio M. sicut ab eo dicitur Cantus Gregorianus. Mentionem ejus facit Innocentius III. 10. ), dum exigit *aquam cum vino & cinere benedictam*, scilicet pro reconcilianda Ecclesia, quæ antea fuerat consecrata. Si Ecclesia fuerit tantum benedicta, sufficit aqua communis benedicta cum sale; quia Reconciliatio eodem modo debet fieri, quo facta est ipsa Dedicatio. Ritus Reconciliationis habetur

---

9.) MIRANDA Manual. Prælat. Regul. tom. II. q. 39. art. 8. ASCAN. TAMBURINUS de Jure Abbat. tom. I. disp. 23. quæsit. 10. 10.) C. 4. de Consecr. Eccl.



betur in Pontificali Romano, & in Ritualibus.

*Etiam*

*Cœmeteria*

§. 38. Ecclesiarum accessoria sunt *Cœmeteria*, quæ vox latine Dormitorium significat: quo nomine Christiani locum sepulturæ destinatum denotant, cum ob spem resurgendi, non tam mori, quam obdormire censeantur II. ). Varius apud diversos populos fuit ritus funerandi cadavera, nec videtur unquam apud gentes cultas viguisse Philosophi Cæcili 12. ), qui sibi persuadens, Christianos ob spem resurgendi execrari rogos, & damnare ignium sepulturas, irridet eos, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, ignis tamen ætatibus in terram resolvatur: nec interfit, utrum fere diripiant, an maris consumant, an humus contegat, an flamma subducat: cum cadaveribus omni sepultura, si sentiunt, pœna sit: si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina.

11. ) Sancti non appellantur mortui, sed dormientes: unde & Lazarus, qui resurrecturus erat, dormisse perhibetur, & Apostolus vetat Thessalonicenses de dormientibus contristari. S. HIERONYMUS adversus Vigilant.

12. ) Apud MINUCIUM FELICEM in Octavo.



*De Consecrat. Eccles. &c.* 49

*cina.* Huic reponit Octavius : *Nec ullum damnum sepulturae timemus, sed veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.* Christiani igitur etiam Romae non secuti sunt morem Romanorum corpora cremantium : qui tamen honor honestioribus solummodo Romanis obveniebat, reliquis extra Urbem sepultis 13.), plerumque in cryptis subterraneis, ex quibus arena effodiebatur ad aedificia Urbis extruenda. Ejusmodi fodinas Romae etiam eligebant Christiani, quas Arenarias, Areas, Coemeteria, Martyrum Concilia, postea etiam Catacumbas vocabant 14.), memoriasque ibi sepulcorum Martyrum quotannis celebrabant. Unde AEMILIANUS Praefectus 15.), quibusdam prohibebat celebrare

D                      con-

---

13.) Quanta religio fuerit locorum, in quibus humata erant cadavera, non est hoc loco commemorandum ex Titulo Pandectarum & Codicis de Religiosis & sumptibus funerum. Erudite GUTHERIUS de Jure Manium lib. 3.

14.) Vid. MAMACHI Orig. Christian. tom. III. fol. 158. & qq. ubi exhibet Ichnographiam Coemeterii Callisti.

15.) Apud EUSEBIUM Hist. Eccl. lib. VII. s. 10.



conventus aut in ea loca, quæ Cœmeteria appellantur, ingredi. Vicissim LICINIUS GALIENUS Imperator in favorem Christianorum Decretum edidit, per quod loca illa, quæ Cœmeteria nominabantur, integram adeundi, occupandique fecit potestatem 16.). Ex istis locis suburbanis postea corpora Martyrum translata sunt in urbes, ubi dein Principes & Episcopi, postea etiam alii Fideles optabant juxta se pulchra Martyrum sepeliri: qua occasione Cœmeteria in urbibus erecta sunt.

*Sunt benedicenda:*

§. 39. Cœmeteria igitur sunt vel conjuncta Ecclesiis, vel ab iis separata: utraque piis ritibus apud Catholicos solent initiari, & sacra benedictione ab usibus profanis ad remulanda Fidelium cadavera destinari 17.). Iisdem autem modis polluitur Cœmeterium, quibus pollui vel exsecrari Ecclesiam diximus: quo casu antequam reconciliatus fuerit, non debet in eo cadaver sepeliri. Porro si Ecclesiam polluitur con-

16.) Ibid. c. 12.

17.) Sacræ Ceremoniæ recensentur in Pontificali Romano.



contingat; ipsius Cœmeterium, si contiguum sit eidem, id est, si Cœmeterium tangat Ecclesiæ parietes, censetur esse pollutum: secus si remotum fuerit ab eadem, aut saltem muro medio separatum, etiamsi ex Ecclesia aditus ad ipsum pateret. Non tamen vicissim polluto Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, debet Ecclesia reputari polluta; ne minus dignum & accessorium, ad se trahere videatur majus & principale. Insuper non unum, sed plura Cœmeteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur: ideoque violato eorum altero, alterum, licet ex uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, non propter hoc reputabitur violatum 18. ).

§. 40. Reconciliatio Cœmeterii fit *Et reconcilianda.*  
ab ipso Episcopo, vel ex delegatione  
Papæ ab alio Sacerdote, aqua per Episcopum benedicta, si ab Episcopo fuerat solemni ritu dedicatum. Si vero à simplici sacerdote, simplici benedictione fuerit initiatum; poterit quoque Reconciliatio a simplici Sacerdote fieri, aqua a se exorcizata,

D 2

non

18. ) C. un. de Consecr. Eccl. in 6.



non tamen sine præscitu Episcopi  
 Dum autem alicubi 19.) præci-  
 pitur Reconciliatio Cœmeterii fieri  
 per asperisionem aquæ solemniter  
 benedictæ, sicut in dedicationibus  
 Ecclesiarum fieri consuevit; ritus  
 iste nequaquam hodie observatur  
 vel potius Constitutio hæc nequa-  
 quam intelligi debet de aqua cime-  
 re & vino mixta, qualis adhibetur  
 in Dedicatione Ecclesiarum; cum  
 Pontificale Romanum pro Recon-  
 ciliatione Cœmeterii solius tantum  
 modo requirat aquam benedictam  
 communem, sale mixtam. Hæc  
 occasione Consecrationis & Re-  
 conciliationis Ecclesiæ isto loco  
 cenda de Cœmeteriis videbantur  
 Plura de Jure Sepulturæ dicentur  
 infra.

## TITULUS IV.

## DE ALTARIBUS.

*Conf. Decretal. lib. 3 tit. 40.*

*Sext lib. 3. tit. 21.*

§. 41.

*Altaria*

**P**RÆCIPUA in Ecclesiis nostris fu-  
 etio est, offerre Deo Sacrifi-  
 um:

19.) C. 7. de Consecr. Eccl.



um : hinc etiam Ara , Altare, Mensa sacra seu Mystica, in qua hæc oblatio peragatur, dedicata & consecrata sit oportet.

§. 42. Cum a CAIN & ABELE, *A primordiis mundi:* haud dubie ad exemplum & institutionem Patris sui ADAMI, Sacrificia summo DEO oblata legamus, pronum est inferre, etiam Aras a primis mundi exordiis ad Cultum Divinum excitatas fuisse. Privatorum usui hæc Aræ serviebant: ENOS autem videtur erexisse Aras publicas, pro publica Divini Nominis invocatione 20.), uti & NOE post diluvium 21.). Hoc exemplum secuti sunt Patriarchæ ABRAHAM, ISAAC, & JACOB. Celeberrimæ erant Aræ, quas JACOB posuit, tum in Bethel, ubi visa in somnis mystica scala, lapidem erexit in titulum fundens oleum desuper 22.): tum in monte Galaad, quæ esset terminus inter JACOB & LABAN, quem neuter posset transgredi 23.). Inde Gentiles occasionem sumebant

D 3           ponen-

---

20.) Genes. IV. 26.

21.) Ibid. VIII. 20.

22.) Ibid. XXVIII. 18.

23.) Ibid. XXXI. 45. seqq.



ponendi Deum TERMINUM in finibus agrorum, lapidemque suppositum unguendi oleo 24.), quem pro Jove Saturnus devorasse dicitur 25.) Græci autem vocabant Βαιτυλον 26.) verosimiliter a Bethel, ubi Jacob forte primus solemniter ritu, & effuso oleo dedicavit Aram 27.).

*Dein in Veteri Testamento:* §. 43. Observata hac Ararum Origine non est, quod hoc loco memoremus de Aris, vel falsis Idolis, vel etiam Vero DEO in veteri Testamento ædificatis: inter quas præcipuum nomen habet Altare Holocausti, jubente Domino per MOYSEN fabricatum 28.): alterum SALOMONIS 29.), cui post captivi-

ta-

24.) *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam. nihil sentiente de trunco. ARNOBIUS advers. Gentes lib. I.*

25.) LACTANTIUS Instit. Divin. lib. I. c. 20.

26.) HESYCHIUS in Lexico. V. Βαιτυλον.

27.) Vid. M. de BOZE du Dieu Terme. Memoir. de l'Academ. des Inscript. &c. tom. 2.

28.) Exod. XXVII. & XXXVIII. Item 2. Paralip. I. 5.

29.) 2. Paralip. IV. 1.



tatem Babylonicam aliud substitu-  
tum fuit a ZOROBABELE 30. ) :  
hoc etiam a Gentibus contaminato,  
aliud posuit JUDAS MACHABÆ-  
US 31. ) : cujus dedicationem an-  
nua commemoratione etiam CHRIS-  
TUS postea celebravit 32. ).

§. 44. Veniamus ad Aras Christia-  
norum. Quando Apostolus PAU-  
LUS Mensam Domini nominat 33. ),  
Altare intelligi vult Concilium TRI-  
DENTINUM 34. ). Veteres quidem  
Apologetæ Fidei Christianæ 35. ), si

Postea in  
Ecclesia  
Christi ere-  
ta sunt 7

D 4 Gen-

- 
30. ) I. ESDRÆ III. 2. seq.  
31. ) I. Machab. IV. 47. &c.  
32. ) JOANN. X. 22.  
33. ) I. Corinth. X. 21.  
34. ) Sess. XXII. c. 1.  
35. ) Supra allegati Tit. I. §. 5. Inter hos  
ORIGENES lib. 8. contra Celsum sic lo-  
quitur : Celsus ait, nos ararum, statua-  
rum, templorumque dedicationes fugere,  
ut occulti foederis fidem sanciamus hac cen-  
tessera, non videns pro aris nobis esse men-  
tem suam cuique, ex qua sursum feruntur  
vere ac intelligibiliter suaveolentes suffitus,  
preces e pura conscientia. LACTANTIUS  
Div. Instit. lib. II. c. 2. Quid Ara vo-  
lunt? scilicet supra quas Gentiles, ut idem  
ait lib. VI. c. 2. mactant opimas ac pingues  
hostias DEO, quasi esurienti; profundunt  
vina, tanquam sitienti; accendunt luminis,  
velut in tenebris agentis.



Gentes ipsis exprobrarent, quod nulla haberent Altaria, libere id fatebantur, eo quidem sensu, quo hoc ipsis erat exprobratum, hoc est, quod non haberent Altaria, in quibus adorarentur Idola more Gentilium, vel ubi cruenta offerrentur Sacrificia ritu Judæorum. Pro incruento autem ac mystico Eucharistiæ Sacrificio haud dubie Aris utebantur, quas Sancti Patres 36.) Mensam mysticam, tremendam, spiritualementem, immortalem divinam: SYNESIUS 37.) autem aram incruentam vocat: & ipsi LACTANTIUS, qui Aras non esse necessarias videtur dicere, laudat tanquam actum Religionis, *Sacrificia facere, dona conferre* 38.), pro quibus functionibus Aræ potissimum destinatae sunt.

*Ex ligno  
vel lapide;*

§. 45. Altaria primis sæculis passim lignea fuisse constat, ut facilius inter persecutiones Gentilium locum moveri, & in alium transportari possent. Etiam lapidea nonnullibi, ubi loci

36.) Multa loca congerit BINGHAM Orig. Eccl. lib. VIII. c. 6. §. 14. DU CANGE Constantinop. Christian. lib. III. c. 53.

37.) In Catastasi. τον βωμον τον ανακαιμακτου

38.) De Ira DEI, cap. 8.



loci opportunitas admittebat, erecta  
 fuisse, nec facile probabitur, nec au-  
 thenticis testimoniis negabitur. A  
 tempore tamen CONSTANTINI M.  
 cum magnificis Templis etiam ex no-  
 biliore materia, lapide & argento  
 exstructas fuisse Aras, sat clara argu-  
 menta probant. Sæculo quarto S.  
 GREGORIUS NYSSENUS non tan-  
 tum lapidei, sed etiam consecrati Al-  
 taris mentionem facit 39.) Con-  
 cilium EPAONENSE Anno 517. ce-  
 lebratum statuit 40.) : *Altaria nisi  
 lapidea Chrismatis unguine non sacren-  
 tur, quæ Concilium AGATHENSE  
 Anno 506. 41.) non solum unctione  
 Chrismatis, sed etiam Sacerdotali bene-  
 dictione*

D 5

dictione

39.) Orat. de S. Baptism. *Altare hoc san-  
 ctum, cui assistimus, lapis est natura com-  
 munis, nihil differens ab aliis crustis lapi-  
 deis, ex quibus parietes nostri extruuntur.  
 Et pavimenta exornantur: sed quoniam  
 DEI Cultui consecratum atque dedicatum  
 est, ac benedictionem accepit, Mensa sancta.  
 Altare immaculatum est, quod non am-  
 plius ab omnibus, sed a solis Sacerdotibus,  
 iisque venerantibus contrahitur. Unde  
 etiam Concilium LAODICENSE circiter  
 Anno 372. celebratum can. 44. statuit a  
 non oportet mulieres ingredi ad Altare.*

40.) Can. 26.

41.) Can. 14.



*distione sacrari* præceperat. Magnificentia Principum nobiliorem materiam lapidi nonnunquam substituit 42. ).

*Sub varia forma.*

§. 46. Varia fuit Ararum forma. Nonnunquam uni, nonnunquam duabus, aut quatuor columnis imponebatur mensa lapidea: alia superposito stipite vel lateritio, vel lapideo, vel ligneo, tumuli formam referebant, tanquam Martyrum sepulchra, quæ proprie *Altaria*, quasi *alte Ara* dicebantur, ad quas etiam per gradus ascendendum erat. Hodie quoque non consecrantur Aræ, nisi inclusis Sanctorum Reliquiis, pro quibus condendis etiam in Altari portatili effodiendum est Sepulchrum 43. ).

§. 47.

- 
42. ) De Mensa pretiosa, quam JUSTINIANUS Imperator posuit in Templo S. Sophiae, vid. CEDRENIUS ad ann. 32. Justiniani. De ea, quam BASILIUS MACEDONOSTATUS statuit in nova Ecclesia sui Palatii, scribit CONSTANTINUS Porphyrogeneta de ejusdem BASILII Vita. cap. 83.
43. ) Locus, seu Sepulchrum, quo conduntur Sacrae Reliquiae, si Altare sit fixum, vel est in medio tabulae Altaris a parte superiori; vel in stipite a parte anteriori



§. 47. Altaria hodie alia sunt *fixa* Altaria fi-  
 & immobilia, quæ loco, in quo con-  
 struuntur, adhærent: alia *Portatilia*, *tatilia*  
 seu *Viatica* 44. ), quæ a loco in lo-  
 cum moveri possunt, & in Ecclesiis  
 vel Oratoriis non consecratis, aut  
 etiam extra Ecclesiam ab Episcopis ac  
 iis, qui facultatem habent, adhiben-  
 tur ad Divina Myſteria peragenda,  
 Græci in ejusmodi locis utuntur *An-*  
*timensis*, quo nomine intelliguntur  
 mappæ consecratæ, & Reliquiis im-  
 pletæ, quibus teguntur Altaria non  
 consecrata 45. ).

§. 48. Ritus consecrandi Altaria *Consecran-*  
 exacte recensentur in Pontificali Ro-  
 da sunt :  
 mano. Ubi animadverto, non tan-  
 tum in medio tabulæ Altaris, sed  
 etiam in quatuor ejusdem cornibus  
 signari Crucem pollice intincto in  
 aqua

teriori aut posteriori; vel in medio sum-  
 mitatis stipitis, cui imponitur tabula la-  
 pidea.

44. ) C. 30. de Privileg.

45. ) Vid. Jus Græco-Romanum a LEUN-  
 CLAVIO editum tom. 1. lib. V. pag. 330.  
 CHRISTIANUS LUPUS tom. 4. Dissert.  
 de S. LEONIS IX. Actis. cap. 13. MAT-  
 THÆUS BLASTARES Syntagm. alphabet.  
 Lit. A. c. 8. apud BEVEREGIUM Syno-  
 dic. tom. 2.



aqua benedicta, in oleo Catechu-  
menorum, & demum in Chrismate, in-  
demque in locis hac ætate incidi scal-  
pro signum Crucis. Cum tamen an-  
tiquioribus temporibus hæc Crucis  
expressio scalpro artificis fieri non  
consueverit, frustra requiritur hoc  
in vetustis Altaribus hoc Consecra-  
tionis signum: sed potius indaga-  
ri debet in vestigium Sepulchri, quod  
vel inciso signo Crucis, vel saltem  
ex insititii lapidis figura prodet  
tentes Reliquias. Certe in vetustis  
Ecclesiis consecratis dubitandum non  
est, quin etiam Altaria sint conse-  
crata, nisi longe recentiore ætate  
exhibeant.

*Etiam plu-  
ra in eodem  
Templo.* §. 49. Plures Aræ ad offerendum  
Missæ Sacrificium esse solent hoc  
in eodem Templo: olimque fuisse  
constat saltem sæculo sexto 46.  
Græci constantius retinuerunt uni-  
tatem Altaris in eodem Templo  
quam-

---

46. ) S. GREGORIUS M. lib. V. Epist. 58.  
mittit Reliquias Episcopo Santonenfi pro  
consecrandis Altaribus, quorum tredecim  
erant in eadem Ecclesia. BEDA lib. V.  
Hist. Eccl. c. 21. laudat ACCAM Episco-  
pum ob plura Altaria erecta in eadem  
Ecclesia.



quamvis habeant plura facella vicina Templo, ubi sacrificium offer-  
tur.

§. 50. Ad offerendum Divinum *Nonnun-*  
Sacrificium servire ultra non potest *quam per-*  
Altare, si vel Consecrationem per- *duni Con-*  
dat, vel polluatur. Consecrationem *secratio-*  
perdere censetur Altare *fixum I. nem:*  
quotiescunque lapis Mensæ disjun-  
gitur a suo stipite, cui fuerat in actu  
Consecrationis unita per quatuor  
Cruces angulares, juxta ritum in  
Pontificali præscriptum. Manet au-  
tem Altare consecratum, si absque  
disjunctione tabula lapidea simul  
cum pede, vel columnis, quibus in-  
sistit, in alium locum transportetur.  
II. Quando sepulchrum, in quo Re-  
liquiæ includuntur, sive lapis su-  
perpositus, qui Sigillum nuncupa-  
tur, solvitur, aperitur, frangitur,  
diminuitur, aut notabiliter viola-  
tur 47): vel ipsæ Reliquiæ tollun-  
tur. III. Quando Mensa enormi-  
ter frangitur 48: ), ut appareat de-  
formitas in Altari, & mutetur anti-  
qua forma; præsertim quando fra-  
ctura

---

47. C. 1. de Consecrat. Eccl.  
48. ) C. 3. ibid.



Etura contingit in cornibus Altaris  
in quibus formantur Cruces Consecrationis. Altare vero *Portatile* Consecrationem perdit I. Quando lapis adeo frangitur, ut amittat suam formam, aut fiat inhabilis ad capiendam simul Hostiam & Calicem II. Quando lapis sigilli aufertur, frangitur, notabiliter læditur, aut Reliquiæ auferuntur.

*Vel polluuntur.*

§. 51. Extra hos casus non perdit Consecrationem Altare fixum aut *Portatile*, etiamsi excretur Ecclesia: sicut vicissim quando talis Arce e loco suo mota, de novo firmatur & de novo consecratur, propter hoc nequaquam reiterare suam Consecrationem Ecclesia consuevit, licet id quidam Canones 49. ) innuere videantur 50. ) At vero polluta, vel violata Ecclesia, polluitur Altare firmum, utpote præcipua pars Ecclesiæ. *Portatile* vero, quod per accidens in tali Ecclesia reperitur, non polluitur cum Ecclesia; potestque alibi super eo celebrari. Sicut autem Ecclesia, ita etiam

49. ) C. 19. dist. 1. de Consecr. Ivo Carnotensis Epist. 32. & 128.

50. ) Cit. C. 1. & EMAN. GONZALEZ ibid.



etiam Altare pollutum censetur, si  
Consecratio fiat ab Episcopo notorie  
excommunicato (§. 36.). Quan-  
do polluta Ecclesia reconciliatur,  
simul reconciliata habentur Alta-  
ria.

TITULUS V.

DE SACRIS RELIQUIIS.

*Conf. Decretal. lib. 3. tit. 45.*

§. 52.

Sicut primis temporibus Christiani *Sine Reli-*  
Romæ conventus agebant *in quibus non*  
Areis & Cœmeteriis Martyrum; ita *consecran-*  
postea in iisdem locis magnificatur *Auaris:*  
Tempora fuerunt constructa, aut Re-  
liquiæ Martyrum in Ecclesias alibi  
ædificatas translatae & sub Aris re-  
positæ (§. 51.). Unde introductus est  
mos Ecclesias & Altaria non con-  
secrandi absque Sanctorum Reliquiis  
(§. 46.). S. AMBROSIUS populo  
interpellanti spondebat, se Romano  
ritu.

---

Et.) Juxta illud Apocal. VII. 9. *Vidi sub-*  
*tus Altare animas interfectorum propter*  
*Verbum DEI, & propter testimonium, quod*  
*habebant.*



ritu Ecclesiam dedicaturum, si Mar-  
tyrum Reliquias invenisset. Proba-  
runt Superi studium populi & volun-  
tatem Episcopi, detectis Corporibus  
SS. GERVASII & PROTASII 52.  
S. PAULINUS Episcopus Nolant  
easdem sacras Reliquias cum Cruce  
Domini conjunxit in Dedicatio-  
Templorum : propterea Inscriptio-  
nem aliquam his versibus cla-  
udit :

Quam bene junguntur Ligni  
Crucis Ossa piorum,  
Pro Cruce ut occisis in Cruce  
sit requies 53.)

Hanc Ecclesie traditionem contra  
Iconoclastarum, aliorumque impio-  
ausus stabiliverunt Concilia 54.)  
Pontifices.

S. 53.

52.) S. AMBROSIIUS Epist. 54.

53.) S. PAULINUS Epist. 12.

54.) CONCILIUM NICÆNUM II. can. 1.

Sic statuit : *Quaecunque Tempia consecrata  
sunt absque Sacris Reliquiis Martyrum  
in his fieri statuimus Reliquiarum depo-  
sitionem cum consuetis precibus. Episcopi  
autem posthac Templum consecrans sine Sa-  
cris Reliquiis, deponatur, ut qui Eccle-  
sias tradiciones transgressus est. Ideo  
jam antea in CONCILIO CARTHAGINENSIS*



§. 53. Sanctorum Reliquiæ non-*Insignes* & nunquam distinguuntur ab eorum *exigua* Re-  
Corporibus. Unde S. GREGORI-*liquiæ ex-*  
US M. 55.) rationem reddit, quare ponuntur  
SS. Martyres nostris orationibus in-*venera-*  
vocati, nonnunquam majora bene-*tioni*  
ficia nobis exhibeant in locis, ubi  
eorum sunt *Reliquiæ*, quam ubi eo-  
rum sunt *Corpora*. Leges etiam Civi-  
les 56.) Corpus & Reliquias di-  
stinguunt: hos enim Græci *νεκρώματα*  
vocant, intelligendo per hanc  
vocem Cineres, Ossa, aut alias par-  
tes quasdam corporis. Hinc in ye-  
tustis Inscriptionibus Romanorum,  
modo Corpus integrum, modo Re-  
liquias Corporis, modo Ossa mo-  
numento condita legimus 57.). Sæ-  
pe confunduntur hæ voces: in or-  
dine

E dine

---

si V. Anno 401. ab Episcopis Africanis  
statutum fuerat can. 14. qui in Codice  
Canonum Ecclesiæ Africanæ est nume-  
ro octogesima tertius: ... *nulla Memo-*  
*ria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi*  
*ubi Corpus aut aliqua Reliquia sunt* &c.

55.) Lib. II. Dialog. c. 38.

56.) L. Monumentum. 42. ff. de Relig. &  
sumpt. fun. L. 53. §. 5. ff. de Le-  
gat. 1.

57.) Vid. GUTHERIUS de Jure Manium  
lib. III. c. 23.



dine tamen ad usum Ecclesiasticum probe dignosci debent. Aliquæ enim dicuntur Reliquiæ *Insignes*, scilicet Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, & non parva, ac legitime ab Ordinariis approbata (58.). Plerumque censetur Insignis Reliquia, quæcunque pars integra Corporis, licet alioquin modica, ut Digitus, Costa &c. vel certe grandioris membri pars non modica, puta Cranium capitis &c. Pro exiguis haberi debent pulvis ac cineres nisi & ipsi acervum faciant. Vestes, sudaria, panni & quæcunque alia Sanctorum supellex, habita molli seu quantitatis ratione, in notabilium Reliquiarum numero sæpe reperiuntur, præsertim si sint instrumenta Martyrii, vel insignis miraculi, puta Lapides S. STEPHANI, Craticula S. LAURENTII, Sudaria & semicinctia S. PAULI (59.).

*Fidelium*

§. 54. Erga Corpora & Reliquia Sanctorum ingenti veneratione ferrebantur.

58.) BENEDICTUS XIV. de Canoniz. Sanctor. lib. IV. p. 2. c. 6. n. 3.

59.) GUYET de fest. propr. Sanctorum lib. I. c. 9.



*De Sacris Reliquiis.* 67

rebantur primorum sæculorum Fi-  
deles 60.). Ex Epistola Ecclesiæ  
Smyrnenfis 61.) constat, Martyrum  
Corpora a Gentilibus fuisse combu-  
sta, ac Cineres dissipatos, vel in  
mare projectos, ne Fidelibus vene-  
rationi essent, vel, ut Gentiles ac  
Judæi calumniabantur, ne Christia-  
ni eos adorarent ut Deos 62.). Li-  
berius hic cultus splendescere cœpit  
post datam Ecclesiis a Constantino  
Augusto pacem, qui *sanctas Reliquias*  
*ANDREÆ, LUCÆ & TIMOTHEI*  
*translatit Constantinopolim, apud quas*  
*dæmones rugiunt* 63.). Magno sæpe  
pretio Fideles Sanctorum Corpora  
eripuerunt infidelium, vel hæreti-  
corum furori 64.). Nonnunquam

E 2

ad

- 
- 60.) LUCILLA, notum schismatis flabel-  
lum, a CÆCILIANO archidiacono repre-  
hensa fuit non ob venerationem veris San-  
ctorum Reliquiis exhibitam, sed ob osculum,  
ante sumptam Eucharistiam libatum ossibus,  
nescio cujus hominis mortui, et si Martyris,  
sed necdum vindicati, prout narrat OP-  
TATUS *Milevitanus* de Schism. Donat. lib. I.  
61.) Apud EUSEBIUM Cæsarens. lib. IV. c. 14.  
62.) Vid. CHRISTIANUS LUPUS tom. III,  
Differt. de Septim. Synod. gener. c. 3.  
63.) S. HIERONYMUS advers. Vigilant.  
64.) LUITPRANDUS Rex Longobardorum  
magno



ad ea etiam ex Catholicis Ecclesiis  
obtinenda, utebantur variis fraudi-  
bus & artibus 65.). De veneratio-  
ne sacrarum Reliquiarum copiose  
scribunt, qui in tractandis Fidei  
Controversiis, Ecclesiæ Catholicæ  
ritus propugnant 66.).

*In Eccle-  
siis.*

§. 55. Ad nostrum institutum  
spectat, statuere de loco, ubi sacre  
Reliquiæ sint asservandæ. Regula  
generalis est, ut Sanctorum Cor-  
pora, Insignesque Reliquiæ non  
collocentur in privatis ædibus, ne  
apud Laicos, sed in Ecclesia: cum  
Viris tamen Principibus & Ecclesi-  
asticis Præsulibus liberalius agit

Apo-

---

magno pretio soluto Corpus S. AUGUSTINI a Saracenorum manibus vindicavit. Ven. BEDA in fine Chronici.

65.) De Corpore S. DIONYSII legi potest  
Dissertatio Rmi. & Celsmi. Principis JOAN-  
NIS BAPTISTÆ, Abbatis ad S. Emeran-  
tum Ratisbonæ. De S. THOMA Appen-  
dixate apud Hagiographos Antwerpenses  
in Act. SS. ad diem 7. Martii. fol. 723  
seqq. de aliis variis apud BENEDICTUM  
XIV. de Canonizat. SS. lib. IV. p. 2. c. 25.  
a num. 38. & c. 26. n. 20. seqq.

66.) BELLARMINUS tom. II. Controv. ge-  
ner. 4. lib. 2. THEOPHILUS RAYNA-  
DUS tom. 15. Heteroclit. spirit. p. 1. sect.  
3. punct. 8.



Apostolica. Reliquias minus insignes etiam in privatis ædibus, in loco tamen apto & decenti conservare possunt Fideles. In ipsa autem Ecclesia Sanctorum Corpora & Insignes Reliquiæ juxta Ritus Romanum, quem tamen extra Urbem non ubique servari videmus, non deberent exponi super Altari, sed vel sub terra, vel intra Altaria, super quibus Sacrificium Missæ celebratur. Partes minores sacri Corporis, aut Reliquiarum in Thecis vel arculis clauduntur, ut in eorundem Sanctorum Festis, aliisque solemnitatibus, populorum venerationi exhibeantur. Non tamen deberent nudæ, & extra capsam ostendi 67.). Ritus eas circumferendi in Processionibus est antiquissimus 68.).

§. 56. Porro sicut Ecclesia Catholica 69.) docet, *Sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta Corpora, quæ viva membra fuerunt*

E 3

runt

67.) C. 2. de Reliq. & Vener. Sanctor.

68.) De Reliquiis S. STEPHANI in publica Processione portatis loquitur S. AUGUSTINUS de Civit. DEI lib. 22. c. 8.

69.) Concil. TRIDENT. sess. XXV. Decret. de Invocat. Venerat. & Reliq. Sanctor.



runt Christi, & Templum Spiritus Sancti, ab ipso ad eternam vitam suscitanda & glorificanda, a Fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur: ita etiam feveris mandatis cavet, ut omnis superstitione in Reliquiarum veneratione tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur; ne exponantur venales 70.); nec novæ Reliquiæ recipiantur, nisi recognoscente & approbante Episcopo; ne Sanctorum celebratione ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates abutantur; ne Prælati permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, variis figmentis, aut falsis documentis decipi 71.). Univerſim non facile permit-

70.) Non placet sententia THOMÆ HURTADO de vero Martyrio Resol. 43. §. 13. n. 4. ubi existimat, Simoniam non esse vendere & emere Reliquiam insignem, quia singularis & peregrina est, ut Velum B. Virginis, pars Coronæ Spinæ Domini; quia hic, ut loquitur iste Autor, non venditur res spiritualis & sacra, sed ejus antiquitas & raritas. Admissa hac formalitatum præcisione, fere omnis Simonia pallio aliquo tegi poterit.

71.) Non tamen nimia facilitate rejici debent



*De Sacris Reliquiis.* 71

mittendum, ut publicæ venerationi exponantur Reliquiæ, fundatæ in Historiis, quæ nullam verisimilitudinem præferunt 72.).

§. 57. In recognoscendis sacris Reliquiis Episcopus I. non debet <sup>Requiritur</sup> <sup>recognitio</sup> <sup>Episcopi.</sup> procedere temere, ac sine accurata consideratione. II. Debet advertere, an Reliquia talis sit, qualem deceat publico cultui & venerationi exponi. III. An Reliquia sit Sancti Canonizati, vel Beatificati. IV. An constet sufficienter de identitate Reliquiæ, scilicet, quod ea sit ejus Sancti,

E 4

bent documenta vel traditiones quarundam Ecclesiarum de suis Reliquiis. Pro instituendo cauto judicio juvat legere HONORATIA S. MARIA Animadvers. in Regul. & Usum Critices tom. 3. lib. V. Dissert. 6. Item JOANNIS FERRANDI Disquisitionem Reliquiariam, ubi agitur de multitudine earundem numero Reliquiarum, quæ in diversis Ecclesiis servantur, suscipienda & suspecta.

72.) THIERS de Superstitionibus lib. II, c. I. his Reliquiis annumerat Lacrymam Christi apud Vindocinenses, quæ, ut vulgo fertur, a Christo fusa est mortuo Lazaro; ab Angelo recepta in vase vitreo, & Magdalenæ donata; demum Constantinopolim, & inde iterum in urbem Vindocinensem reportata.



eti, cujus esse dicitur; ita ut prudenter operari censeatur, qui illam ut talem approbat & judicat 73.).

## TITULUS VI.

## DE SACRIS IMAGINIBUS.

## §. 58.

*Sacrarum  
Imaginum  
veneratio-  
nem,*

PRÆTER Sanctorum Reliquias, Ecclesiis ornandis & devotioni Fidelium fovendæ adhibentur sacrae Imagines. Usus & Venerationem earum contra A catholicos propugnant Theologi Dogmatici & Polemici 74. ). Nos pauca de hoc argumento afferemus, postquam hæresin Iconoclastarum brevi stylo attigerimus. Subnectemus dein, quibus Sacri Canones circa usum Imaginum statuunt, ne quod ad Religionem fovendam est institutum, ad superstitionem inducendam valeat.

## §. 59.

- 73.) Has quatuor propositiones fusius declarat P. ANDREAS HIERON. ANDREUCI Dissert. Canonico - Theolog. V. §. 2.  
74.) PETAVIUS Theol. Dogm. tom. 2. lib. XV. a c. 6. CARD. GOTTI Verit. Relig. Christ. tom. 2. c. 80. TOURNELY Prælect. Theolog. de Incarnat. quæst. ult.



*De Sacris Imaginibus.* 73

§. 59. Ad finem Sæculi VI. SE-*Impugna-*  
RENUS Episcopus Massiliensis Ima-*tam,*  
gines Sanctorum confregit, & ex  
Ecclesiis removit ad evitandum ado-  
rationis periculum, cujus indiscre-  
tum Zelum reprehendit S. GREGO-  
RIUS M. 75.). Res eo tempore  
ultra processisse non videtur. Sæ-  
culo VIII. autem hæresin Iconocla-  
starum in Ecclesiam induxit, & im-  
mani crudelitate firmavit LEO *Isau-*  
*ricus* Imperator, a duobus Judæis  
ad eam impietatem pertractus, de-  
turbatis, confractis ac deletis ubi-  
que Imaginibus Christi, Deiparæ ac  
Sanctorum, vano prætextu everten-  
dæ Idololatriæ. LEONIS Patris  
impietatem superavit filius CON-  
STANTINUS *Copronymus*, convo-  
cata Pseudo-Synodo Iconoclastarum  
Episcoporum 76.), quorum auto-  
ritate fretus, horrenda ubique cru-  
deli-

E 5

deli-

75.) Lib. VII. epist. III. & lib. IX. epist. 9.

76.) Acta hujus Conciliabuli referuntur in  
Concil. NICÆN. II. act. VI. ubi JOANNES  
Diaconus ostendit, non posse Synodum  
illam dici Oecumenicam, quæ neque ad-  
jutorem habuit Romanum Pontificem,  
nec consentientes Patriarchas Orientis,  
Alexandriæ scilicet, Antiochiæ & San-  
ctæ Civitatis.



delitatis & blasphemæ improbitat  
specimina edidit.

*Laudat Syn-  
odus VII.*

§. 60. LEO Patre COPRONI  
MO non melior filius , sacrilegi  
rum pœnas acerba morte luit , ux  
re IRENE relicta , quæ ambition  
vitium zelo Catholicæ veritatis  
xit , convocavitque cum CO  
STANTINO filio Synodum VII. f  
NICÆNAM II. in qua Cultus Im  
ginum communi consensu fuit stab  
litus Anno 787.

*Male intel-  
lecta*

§. 61. Cum dicti Imperatores in  
piam hæresin etiam in Provinci  
Italiæ propagare vellent , nata ex  
de est occasio excutiendi jugu  
eorum in Occidente , hujusque Im  
perium in Reges Francorum tran  
ferendi 77. ). In ipsa tamen Franco  
Episcopi varie sentiebant de sac  
Imaginibus , quarum usum quidem  
non persequebantur furore Icono  
clastarum , cultum tamen ob vario  
abusus , & ad vitandam superstitio  
nem non censebant promovendum

Acce-

77. ) JOAN. ECKIUS tract. de non tollend  
imaginibus c. II. jubet Germanos mem  
nisse , potissimam causam transferendi Im  
perium a Græcis in Germanos, fuisse Im  
ginum usum &c.



*De Sacris Imaginibus.* 75

Accedebat æmulatio potentia contra Græcos, & injuria CAROLO M. illata, dum CONSTANTINI junioris matrimonium cum filia CAROLI, malis artibus IRENES Matris fuit impeditum. Unde Episcopi quidam concinnarunt librum, nomine CAROLI vulgatum contra dictam Synodum Græcorum, eo stylo, qui non tam veritatis amorem, quam exulcerati animi impetum prodit.

§. 62. Convocavit CAROLUS *A Franco-* eo tempore Episcopus Franciæ & *furtensibus.* Germaniæ Francofurtum, contra doctrinam ELIPANDI & FELICIS, qui hæresin Nestorianam resuscitare videbantur. Hac occasione usus HADRIANUS Pontifex, qui NICÆNAM Synodum nondum confirmaverat, pro pleniore discussione ad Conventum Francofurtensem per Legatos suos misit exemplum dictæ Synodi, in Latinam linguam adeo male versæ, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam potuerit adverti 78.). Inter alia, sententia CONSTANTINI  
Epi-

---

78.) ANASTASIUS *Bibliothecarius* in Præfat. ad VII. Synod.



Episcopi Constantiæ Cypri, *Adi* non a  
 III. his verbis proferebatur: *Cre* Sam  
 Et cum honore recipio sacras Et veneratio  
 biles imagines juxta obsequium adon temp  
 tionis, quam exhibeo consubstantiali nave  
 vivificanti Trinitati 79. ). Cum tamen S.  
 juxta textum Græcum deberet die tifer  
 his consentio, Et concors efficior, suscipio num  
 Et amplectens honorabiliter sanctas cent  
 venerabiles imagines: atque ador nes  
 tionem, quæ per latrariam efficitur, esse  
 supersubstantiali Et vivifica Trinitati tius  
 pendo. Ex perversa hac interpretat feno  
 tione Francofurtenses Patres ind nem  
 cti fuerunt, ut Nicænam Synodum in de  
 cujus græcum exemplar ad manu Syn  
 non erat, condemnarent his verbis rum  
 80. ): *Allata est in medium questio gine*  
 nova Græcorum Synodo, quam de ad eoru  
 randis Imaginibus Constantinopoli 81. oscu  
 fecerunt; in qua scriptum habebatur tion  
 ut qui imaginibus sanctorum, ita ut De ram  
 fica Trinitati, servitium aut adoratione qua  
 non imp

79. ) Quod latinum exemplar sic expressit  
 sententiam Constantini, patet ex lib.  
 CAROLI M. lib. III. cap. 17.

80. ) Can. 2.

81. ) Hoc decretum non cum debita atten  
 tione conceptum esse videtur, cum Syn  
 odus Græcorum dicatur celebrata Const  
 antinopoli, quæ habita fuit Nicææ. 82.



De Sacris Imaginibus. 77

non impenderent, anathema judicarentur:  
Sanctissimi Patres nostri omnimodis ad-  
orationem & servitutem renuentes con-  
tempserunt, atque consentientes condem-  
naverunt.

§. 63. HADRIANUS quidem Pon-<sup>Hadrianus</sup>  
tifex idem vitiosum exemplar lati-<sup>Pontifex</sup>  
num præ manibus habuisse videtur:  
censuit tamen, ob ejusmodi locutio-  
nes singulorum Episcoporum non  
esse rejiciendam Synodum; sed po-  
tius ex benigna interpretatione cen-  
sendos esse singulos, talem adoratio-  
nem pro sacris imaginibus credere, qualis  
in definitione Synodi constituta est 82.):  
Synodus autem auditis Episcopo-  
rum sententiis definit Act. VII. Ima-  
gines proponendas esse ad prototyporum  
eorum memoriam & desiderium, & ad  
osculum, & ad honorariam his adora-  
tionem tribuendam: non tamen ad ve-  
ram latriam, quæ secundum fidem est,  
quæque solam divinam naturam decet,  
impartiendam.

§. 64. Quam Catholice autem Conciliat  
revera senserint Francofurtenses utramque  
Patres, abunde probat ultimum Ca-<sup>Synodum.</sup>  
pitulum, quod miserunt ad HA-  
DRIANUM Papam his verbis: sciat  
Dom-

82.) Apud HARDUIN. tom. 4. colum. 803.



Domnus Apostolicus & Pater noster, cuncta simul Romanorum Ecclesia, ut cundum quod continetur in epistola beati simi Gregorii, quam ad Serenum Moliensem Episcopum direxit, permittimus Imagines Sanctorum, quicunque eas frangere voluerint, tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam, propter amorem Dei Sanctorum ejus: adorare vero eas nunquam cogimus, qui noluerint: frangere vel destruere eas, etiamsi quis voluerit, non permittimus. Quam sententiam, tanquam dignam CAROLUS M. laudat & magis elucidat HADRIANUS in Responso suo. Definigitur Synodus Francofurtensis contra Iconoclastas, Imagines tam in Ecclesiis, quam alibi exponi post nullatenus autem permittit, ut frangantur & destruantur. Quoad cultum autem Imaginum sentit, neminem ad eas adorandas esse cogendum. Ex quibus omnibus elucidat singularis prudentia HADRIANUS circa utramque Synodum, Nicenam & Francofurtensem, quarum unam alteri conciliat, neutram auctoritate Pontificia confirmat.

*Iconoclastarum hæ-* §. 65. Post plures Imperii Orientalis revolutiones LEO Armenicus throno Imperiali sub annum 813 pro-



proditione occupato, Iconoclastarum hæresin & furorem restauravit: quem etiam persecuti sunt MICHAEL Balbus, & THEOPHILUS, quorum ad LUDOVICUM Pium, data Epistola 83.), multos Græcorum abusus circa cultum Imaginum græca fide recensens, excitavit nonnullos Episcopos Galliæ erga Imagines male affectos, ut in Conventu Parisiis acto 84.), primum quidem Conciliabulum COPRONYMI & Iconoclastarum de confringendis & abolendis imaginibus, postea vero acrioribus terminis Epistolas duas HADRIANI Pontificis, & ipsum Concilium NICÆNUM II. cum omnibus cultoribus imaginum, ausu plane temerario condemnarunt, volentes, ut haberentur quidem imagines, sed nequaquam adorarentur, nec sanctæ nominarentur 85.). Ex hac

hac

83.) Hæc Epistola inserta est collectioni Imperialium Decretorum de Cultu Imaginum a GOLDASTO editæ. fol. 618.

84.) Huic opusculo inepte tribui nomen Synodi Parisiensis, ostendit BELLARMINUS operum tom. VII. peculiari tractatu.

85.) In dicta collectione GOLDASTI, huic Parisino Conventui subjungitur *Epistola nomin-*



hac doctrina Episcoporum Gallorum  
**CLAUDIUS** Taurinensis Episcopus  
 deduxit conclusionem, neque Cruci-  
 cem Christi esse adorandam, quod  
 tamen Iconoclastis eo usque semper  
 venerationi fuerat. Unde per totam  
 suam Dioecesin omnes Imagines  
 Cruces delevit, ac confregit 86.  
 Tractatum ipsius refutavit JONAS  
 Aurelianensis 87.), sed debilibus  
 mis, cum & ipse vehementer pug-  
 ret contra cultum Imaginum, à quo  
 tamen efficacissimum ducitur argu-  
 men-

---

*nomine Romani Pontificis ad Michaelum  
 atque Theophilum Imperatores Græcorum  
 Nequaquam censendum est, hanc Epis-  
 stolam ab Eugenio Pontifice fuisse com-  
 ptam aut missam ad Imperatores: est  
 lummodo idea & conceptus Epistolæ  
 Episcopis Galliæ concinnatus, & aliis  
 aliis documentis Romam missus per  
 REMIAM & JONAM Episcopos, cultum  
 Imaginum adversantes.*

- 86.) SIANDA Lexic. Polemic. V. **CLAUDIUS TAURINENSIS.** Quomodo in mari solet crux apud Græcos & Latinos, qua nos ipsos signamus, tradit GRIGORIUS TERSERUS de Cruce lib. IV. c. I. LEO ALATIUS de Eccles. Occid. atque Oriental. consensione lib. III. c. 18. a n. 14.  
 87.) Biblioth. SS. PP.



*De Sacris Imaginibus.* 81

mentum ad venerationem Crucis,  
vel laudandam vel improbandam  
88.).

§. 66. Post THEOPHILI obitum  
uxor THEODORA cum filio MI-  
CHAELE, admodum infante, Au-  
gustis titulis ornata, restauravit in  
Oriente cultum Imaginum, confir-  
mata Synodo NICÆNA II. in Con-  
ventu Episcoporum & Clericorum  
Constantinopoli habito, anno 842.  
89.). Virtutes THEODORÆ Ma-  
tris,

*et damna-  
tur a Syno-  
do VII.*

F

88.) Eundem tractatum CLAUDII TAU-  
RINENSIS refutavit WALAFRIDUS  
STRABO de Reb. Eccles. c. 8. cum tamen  
etiam iste præjudicata opinione Gallorum  
imbutus videatur, refutatio non adeo est  
solida.

89.) De hoc conventu loquitur THEO-  
PHANES in Orat. de S. NICEPHORO  
apud BOLLAND. in Actis SS. 13. Martii  
fol. 320. Post hunc conventum solemniter  
instituta fuit Processio Dominica prima  
Quadragesimæ, & singulis annis hoc  
modo revocabatur memoria restitutæ  
orthodoxiæ: unde Dominica illa nomen  
apud Græcos habet *orthodoxia*. LEO  
ALLATIUS in Dissertat. de Dominicis &  
hebdomadibus Græcorum n. 14. aliique  
ibi citati. CODINUS de Officiis Eccles.  
Constantinop. c. 15. n. 17. & ibi GRETSE-  
RUS Commentar. l. 3. c. 10.



tris, cujus laudes celebrat NICOLAUS I. Papa 90.), nequaquam æmulabatur MICHAEL filius: cultus tamen Imaginum integer servabatur in Oriente: & demum consensu Orientis & Occidentis, Concilium Generale VII. ab octavo pariter Generali 91.) Constantinopolim & consequenter à Sancta Sede confirmatum fuit, cui supremæ Conciliorum auctoritati etiam Prælati Galliarum se submiserunt.

*Demum a Tridentina.*

§. 67. Cultus Imaginum auctoritate totius Ecclesiæ anno 869. abolitus, tandem iterum impugnatus fuit Sæculo XII. in Gallia a PETRO de BRUIS, qui in accensam structuram ex confractis crucibus congestam ad quam die Parasceves carnes conquebat, ab indignante populo conjectus. Eundem errorem docuit HENRICUS ejus discipulus 92. item

90.) In Epist. quæ est 14ta apud HAROLDUM in Collect. Concil. tom. 5. col. 227.

91.) Act. X. Can. 3.

92.) Utriusque alicuius impugnavit PETRUS Cluniacensis, cujus Epistolæ contra Henricianorum & Petrobrusianorum hæreses in Germania primum editæ Ingolstadii ann. 1546. continentur etiam in Bibliotheca Cluniacensi ANDREÆ QUERCETANI. col. III7.



*De Sacris Imaginibus.* 83

item Albigenses & Waldenses: dein  
Sæculo XIV. Wiclefistæ: Sæculo  
XV Hussitæ: Sæculo XVI. CAROLO-  
STADIUS, ZWINGLIUS & CAL-  
VINUS, eorumque Sectatores. His  
omnibus confutandis sufficit Decre-  
tum Concilii TRIDENTINI 93.),  
quo discrimen inter Idola Gentilium  
& Imagines Christianorum, harum-  
que legitimus usus, & innoxia ve-  
neratio dilucide traditur.

§. 68. Insistendo igitur doctrinæ *Nec Lex*  
Concilii TRIDENTINI, censemus, *Mosaica,*  
Deum in Decalogo 94.) non uni-  
verse prohibuisse omnem prorsus  
Imaginum usum, sed earum dunta-  
xat, quæ ad Numen aliquod repræ-  
sentandum fierent, quæ Idola nun-  
cupantur. Quod si Synedrii ac Sy-  
nagogæ postea decreto latius por-  
recta legis sanctio est, id inter illo-  
rum secundarias præceptiones &  
scita Magistorum numerari conve-  
nit, quæ *sepem Legis Divinæ* nomi-  
nare solebant.

§. 69. Apud Christianos distingui *Nec Chri-*  
oportet inter Imaginum Usum, & *stiana*

F 2 ea-

---

93.) Sess. XXV.

94.) Exod. XX. 4. Levit. XXVI, 1.  
Deuteron. V. 8.



carundem Cultum. Usus Imaginum ex eorum genere est, quæ ad iaphora nominantur, quæ scilicet ad salutem omnino necessaria non sunt nec ad substantiam Religionis attinent: sed in potestate sunt Ecclesiæ ut ea vel adhibeat, vel abieget, prout satius esse decreverit. Quocirca primis ab ortu Christianæ Religionis temporibus, cum Gentilis in eam exardesceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum superstitio; non tam frequens fuit Sacrarum usus Imaginum, uti neque Templorum aut Altarium 95. ne scilicet quispiam, quod MARCELLINA Carpocratis discipula fecit, Imaginem JESU & PAULI cum imaginibus HOMERI & PYTHAGORÆ coleret; Gentium quoque mores & mysteria circa eas perficeret, adorando, incensumque ponendo.

95.) ORIGEN. lib. VIII. contra Celsum MINUCIUS FELIX in Octavio. ARNOB. lib. VI. advers. gent. LACTANTIUS Divin. Inst. lib. II. c. 2. & alii rejiciunt simulacra DEI, sicut Tempia & Aras, in eo scilicet sensu, quo Gentiles eadem adhibebant. Vid. ISÆVUS in Notis ad eundem locum Lactantii.



*De Sacris Imaginibus.* 85

nendo 96.), exemplo ALEXAN-  
DRI Severi Imperatoris, qui in Lara-  
rio suo statuas CHRISTI & ABRA-  
HAM inter falsos Deos posuisse  
scribitur 97.). Unde sub DIO-  
CLETIANO & MAXIMIANO Her-  
culeo Præfectus revulsis Ecclesiæ  
Nicomediensis foribus, frustra simu-  
lacrum DEI quærebat 98.). Ex his  
intelligi potest mens Concilii ILLI-  
BERITANI 99.), cui ad initium Sæ-  
culi IV. placuit picturas in Ecclesia  
esse non debere, ne quod colitur & ado-  
ratur, in parietibus depingatur, id est,  
ne Gentiles ex ejusmodi picturis ve-  
nirent in notitiam & pravam inter-  
pretationem nostrorum mysterio-  
rum 100.).

F 3

§. 70.

96.) S. AUGUSTIN. de hæresib. c. 7. EPI-  
PHAN. hæres. 27.

97.) ÆLIUS LAMPRIDIUS in Alexandro  
Severo.

98.) LACTANTIUS de Mortib. Persecut.  
§. 12.

99.) Can. 36.

100.) Aptior hæc videtur interpretatio,  
quam sit BALTASARIS DE BASTERO,  
olim Episcopi Gerundensis, aut etiam  
ejus Adversarii, in Diario Trivultienti  
ann. 1750. mens. April. art. 43. & ann.  
1752.



*Adversatur  
Imaginum  
usui.*

§. 70. Pace autem & libertate reddita, Imagines Christi atque Sanctorum usurpavit Ecclesia, cum jam nullum Idololatriæ periculum esset, & ad propagandam Christi ac Martyrum memoriam, animandosque ad pietatis constantiam illorum exemplo Fideles, utile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem instituto ac tempore constat esse factum; sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus & indoles erat; & qui illis præerant, expedire judicabant. In hac igitur de Imaginibus controversia, recentioris Ecclesiæ potius exemplorum & Institutionum, quam antiquioris, duci rationem oportet 1.) Adeo enim

Ido-

---

1752. mens. Jul. art. 83. Vid. SCHEL-  
STRATE de Discipl. Arcani c. 7. art. 3.  
NATALIS ALEXANDER Hist. Eccles.  
sæc. III. Dissert. 21. art. 2. PAGI Crit.  
ad Annal. Baron. ann. 55. n. V. TOUR-  
NELLY Prælect. Theol. de Incarnat.  
quæst. ult.

1.) Ita ratiocinatur PETAVIUS Theol.  
Dogmat. Tom. V. p. 2. de Incarnat. lib.  
XV. c. 13.



Idololatriæ metus evanuit, ut etiam falforum Deorum simulacra, quæ forte ex ruderibus eruuntur, ad profanos urbium ornatus, vel ad profligatæ superstitionis monumenta ferventur. Unde THEOPHILUS Episcopus Alexandrinus, cum cætera Idola in ollas & alia vasa conflasset, unum solummodo servari, & publice exponi jussit, ne sequenti tempore Pagani negarent, se tales adorasse Deos 2.).

§. 71. Nihilominus primis etiam sæculis Imagines alicubi positas fuisse constat. De Imagine Christi ab ipso Servatore nostro ad ABGARUM Edessæ Regem missa, habemus vetustissimam autoritatem 3.): uti &

*cujus exempla habemus antiquissima.*

F 4

de

2.) SOCRATES Hist. Eccl. lib. V. c. 16.

3.) Vid. GRETSERUS Syntagm. de Imaginibus non manu factis. HONORATUS a S. MARIA Animadvers. in Regul. & usum Critic. tom. 2. lib. IV. Dissert. 2. art. 2. HADRIANUS Papa in Epist. ad CAROLUM M. pro Synodo Nicæna II. c. 18. refert, hanc historiam a tribus Patriarchis Orientis ad Pontificem perscriptam, & ab Antecessore suo STEPHANO III. in Synodo Romana relatam. HARDUIN. Tom. 4. col. 782.



de Facie Christi, VERONICA nuncupata 4.). Narrat EUSEBIUS 5.) scriptor Sæculi IV. a muliere illa quam Christus Dominus a sanguinis profluvio sanaverat, erectam fuisse æream statuam Salvatoris, & adhuc sua ætate Cæsareæ Philippi superfuisse, cui & miraculum accessit herbe cujusdam, quæ ubi ad pallii, quod in statua effigiatum erat, simbriam excreverat, morborum genera omnia curabat. Statua hæc postea a JULIANO *Apostata* destructa fuit: frustra autem a Christianis collecta & in Ecclesia reposita 6.). NICODEMI, qui nocte ad JESUM veniebat, propriis manibus factam fuisse asserunt Imaginem Christi, quæ a Judæis excruciatâ, copiosum sanguinem fudit Beryti 7.). Imagines Deiparæ S. LUCAS pinxisse dicitur, neque ullo verosimili fundamento negatur 8.). De aliis Imaginibus  
Chri-

- 
- 4.) HONORATUS *ibid.* Dissert. 8.  
 5.) *Hist. Eccles. lib. VII. c. 73.*  
 6.) SOZOMENUS *Hist. Eccles. lib. 5. c. 20.*  
 HONORATUS *loc. cit. Dissert. 2. art. 3.*  
 7.) *Synod. VII. General. Act. 4.*  
 8.) *Vid. GRETSERUS loc. cit. c. 18. & 19.*



Christi & Apostolorum PETRI & PAULI per primos Christianos confectis antiquissima Historia testatur 9.). Ipse Divinus Servator noster formandæ Crucis autor Constantino fuit. 10.).

§. 72. Ex his demonstratur anti- *Ex usu*  
quissimus Imaginum sacrarum *Usus. Imaginum*  
Qui vero ex Protestantibus Germa- *inferiur*  
niæ Imagines quidem habendas pu- *earundem*  
tant, earum autem *Cultum* ac vene- *Cultus,*  
rationem damnant, a seipsis dissi-  
dent. Ex eodem enim fundamento,  
ex quo Cultum rejiciunt, debent  
etiam prohibere easdem fieri, & ha-  
beri qualicumque in æstimatione.  
Quippe Decalogi præcepto illo, quo  
Idolis interdicitur, etiam sacras Ca-  
tholicorum Imagines prohiberi sen-  
tiant: quod si verum est, non modo  
Cultui earundem intercedere de-  
bent, sed etiam formationi. Ho-  
nor enim ille, qui defertur Imagi-  
nibus, est *Relativus*, & refertur ad  
Prototypon, quod neque Prote-  
stantes veneratione dignum esse ne-

F 5 ga-

9.) EUSEB. loc. cit.

10.) Idem de vit. CONSTANTINI lib. I.  
c. 23.



gabunt: an autem illis deferendus §.  
 etiam sit Cultus *absolutus*, relinquendus  
 Theologis Scholasticis discutien-  
 endum II.): saltem Cultus negativus  
 Imaginibus absolute deferendus  
 debet, ut nulla injuria aut dehonora-  
 tione afficiantur, non flammantur,  
 absumantur &c. Unde inferitur, quod  
 varias Imagines ejusdem Sancti, per  
 se loquendo, æquali honore afficien-  
 das esse, cum idem in singulis  
 prototypon honoretur: nihilominus  
 cum Deus ad invocationem  
 ejusdem Sancti potius in hoc, quam  
 in illo loco; potius ad hanc, quam  
 ad illam Imaginem liberalius sua be-  
 neficia largiatur: absque ulla super-  
 stitione fieri solet, ut una B. Virgi-  
 nis, vel alterius Sancti Imago pro  
 alia ejusdem celebrior sit, majori-  
 que frequentia hominum colatur.  
 Sicut enim, quod Apostolus dicit,  
 non omnes Sancti habent dona cura-  
 tionum, nec omnes habent dijudi-  
 cationem spirituum: ita nec in om-  
 nibus memoriis Sanctorum ista fieri  
 voluit ille, qui dividit propria uni-  
 cuique prout vult 12.).

§. 73.

11.) Vid. PETAV. loc. cit. c. 17.

12.) S. AUGUSTINUS Epist. 78. alias 13.



§. 73. Catholica igitur sententia qui pertinet  
ad Cultum Imaginum sacrarum per- ad dogma-  
tine ad Dogmata Ecclesiæ, lici- ta Ecclesie.  
negatum scilicet esse, eas venerari, si-  
ferentemque earum Cultum, si ad nor-  
de hominam Christianæ doctrinæ exercea-  
amittitur, ab Idolorum adoratione lon-  
ur, dignissime distare: Usus autem earum  
i, pendere ex Disciplina, quæ variis  
aff- temporibus & locis, varia esse pot-  
ngul- est 13.). Unde Calviniani imme-  
lomi- rito irrident Catholicos, quod tot  
onen- arumnas olim ac mortes sub Impe-  
quan- ratoribus Iconoclastis perpeti malu-  
quan- erint, quam abjurare Sacrarum  
ua bo- Imaginum Cultum, quæ removeri  
super- salva religione possunt. Nam Ico-  
Virgi- nomachi non solum contendebant,  
o pro- ut e templis deturbarentur Imagines,  
ajori- quod tolerare Disciplina poterat:  
latur- sed contra ipsum Dogma, Imaginum  
dicit- usum, omnemque earum Cultum  
a cu- superstitiosum, impium, Deoque  
ijudi- invisum ducebant. Fundebant igi-  
n om- tur Catholici sanguinem pro dog-  
a fia- mate Christianæ fidei, quæ causa  
a uni- etiam

---

13.) Minus exacta videtur esse propositio,  
quod Apostoli prohibuerint Cultum Sa-  
crarum Imaginum, quam propositionem  
no-



etiam reliquos Martyres fecit. 14.  
 Quod autem Imagines ex sententia  
 Ecclesiae Catholicae quoad Usum inter  
 adiaphora censeantur: item quae  
 utilitatem afferant, & qua ratio  
 colantur, eleganter exprimitur  
 precibus, quibus benedicuntur Im  
 gines hac formula: *Omnipotens*  
*piterne Deus, qui Sanctorum tuorum*  
*Imagines seu Effigies sculpi aut*  
*NON REPROBAS, ut quoties illi*  
*oculis corporeis intuemur, toties*  
*actus & sanctitatem AD IMITANDUM*  
*memoriae oculis meditemur: hanc, quae*  
*mus, Imaginem in honorem ac memoriam*  
*Beati N. adaptatam benedicere ac san*  
*ctificare digneris; & presta, ut quicumque*  
*que CORAM ILLA IPSUM gloriosissimum*  
*num N. suppliciter honorare studuerit*  
*ILLIUS PRECIBUS ac obtentu, a te*  
*gratiam in praesenti, & aeternam gloriam*  
*obtineat in futuro, PER DOMINUM*  
*NOSTRUM &c. 15.).*

§. 74

notat Autor Historiae Literariae Italiae  
 vol. 2. lib. 1. c. 2. n. 11. & crisin suam  
 defendit Vol. 4. part. 3. let. 2.

14.) LAMIND. PRITANIUS, id est, MURATORIUS  
 de Ingenior. Moderat. l. I. c. 15.

15.) Pontificale Romanum part. 2. Rubrica  
 De Benedictione Imaginum. Olim Imagines



De Sacris Imaginibus. 93

§. 74. Sicuti autem contra Aca-<sup>Resistendum</sup>  
thoicos, Usus & Veneratio Imagi-<sup>est errori-</sup>  
num commendatur: ita pariter resi-<sup>bus</sup>  
stendum erroribus, qui vel ex ru-  
ditate, vel ob turpem quæstum fa-  
cile possunt irrepere. Duplici ratio-  
ne contingere id potest, I. circa  
Repræsentationem. II. circa legiti-  
mum Imaginum Usam.

§. 75. Quoad ipsam Repræsentationem <sup>Quoad re-</sup>  
generalis regula est, quod <sup>præsenta-</sup>  
ex quibus causis prohibentur non-<sup>tionem,</sup>  
nulli libri, ex iisdem tolerari non  
debeant nonnullæ imagines, utpote  
quæ sunt libri indoctorum (16.).  
Tales sunt Imagines vel falsum dog-  
ma repræsentantes, vel erroris oc-  
casionem præbentes: lascivæ aut  
sanctitatem Domus DEI dedecen-  
tes: dissidiorum causam dantes.

§. 75.

gines etiam Chrismate ungebantur, & sic  
dedicabantur, ut scribit HADRIANUS I,  
ad CAROLUM M. HARDUIN. Concil.  
tom. 4. col. 792.

26.) Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibe-  
tur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in  
parietibus videndo legant, qua legere in co-  
dicibus non valent. S. GREGOR. M. lib.  
VII. ep. III.



*Ne falsum  
dogma re-  
præsentetur,*

§. 76. Ne falsum Dogma representetur, vel erroris occasio præbeat, præcipua cura sit oportere Divinitate, aut SS. Trinitate expromenda. Potest ea forma adhiberi sub qua Deus nonnunquam hominibus apparere voluit: scilicet Dominus Pater in forma Viri senis, Verbum Divinum in humana natura, quam assumpsit; Spiritus Sanctus sub Columbæ specie. Sub his figuris apte conjunctis præsentata fuit SS. Trinitas antequam nos circiter mille & ducentos Nolana Ecclesia 19.). Videri etiam

17.) DANIEL. VII. 9. Unde ALEXANDER VIII. damnavit hanc propitiam nem Numero 25. tam *DEI Patris simulacrum nefas est Christiano in ecclesia collocare.* De Imagine DEI Patris seu Pallio Sacerdotali, & triplici Corona insignita, contra MOLINÆUM & SAUSSAYUS Panopliæ Sacerdot. Lib. VII. c. 7.

18.) LUCÆ III. 22.

19.) S. PAULINUS adscripsit hos versus

Pleno coruscat Trinitas mysterio:  
Stat Christus amne: Vox Patris  
tonat;  
Et per Columbam Spiritus Sanctus  
fluit.



*De Sacris Imaginibus.* 95

etiam SS. Trinitatem representari sub effigie Trium Virorum omnino æqualium: sed tutum non est, figuram hujus Mysterii superstruere incerto conceptui quorundam Interpretum, qui Tres Viros Abrahæ viros 20.) de SS. Trinitate intelligunt. Multo minus formanda hæc est sub figura monstrosa unius hominis, qui habeat triplicem faciem vel triplex caput 21. ). Imago Spiritus Sancti sub forma speciosi Juvenis non habet fundamentum in Scripturis 22.).

Unde

---

20.) Genes. c. 18.

21.) Hac forma dæmon apparuit, Trinitatem se esse contestatus, uti refertur in Vita S. NORBERTI 6. Junii apud Bolland. fol. 833. & URBANUS VIII. dicitur tales Imagines ad ignem damnasse. BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. I. fol. 566.

22.) Hæc figura non probatur BENEDICTO XIV. loc. cit. Familiaris autem fuit nostris temporibus piæ cuidam Virgini: & jam olim typis Belgicis excusa cum inscriptione: *Hac præfulgenti formæ sese Spiritus Sanctus Divæ Virgini & Matri Teresiæ manifestavit.* Major hujus formæ antiquitas refertur in quibusdam Literis Bononiensibus, quæ in Diurno Manuscripto sæculi decimi quarti, & per

ues



Unde ejusmodi Imagines ad publicum Cultum, præcipue in templis non facile exponendæ sunt; quamvis earum usus pro devotione privata improbandus non sit. Quando repræsentatur Christus sub forma Pastoris ovem portantis in heremeris 23.), vel sub forma Agni non dicendæ hæ sunt Imagines Christi, sed potius Symbola ex Evangelio & Apocalypsi desumpta 24.)

S. 77.

nes Reverendissimum TROMBELLA, Abbatem Canonice S. Salvatoris Bononiensis inveniri narrant imaginem SS. Trinitatis, in qua Spiritus Sanctus Pueri formam repræsentatur. Quando autem P. FORTUNATUS HUEBER in Menolog. O. Seraph. ad diem 28. Decembr. narrat. ANGELAM DE FULGINIO cum Spiritu S. in forma pulcherrimi Juvenis sibi a parente sermones miscuisse; nescio quâ autoritate id scribat, cum ipsa B. ANGELA dicat, illa omnia intus in se contigisse. Vid. Acta SS, ad diem 4. Januarii.

23.) Hanc figuram jam a primis Christianis in calicibus fuisse effigiatam, relate TERTULLIANUS lib. de Pudicitia.

24.) Non pingimus Agnum tanquam figuram Christi immolandi, quam formam improbant Patres TRULLANI Can. Sed



De Sacris Imaginibus. 97

§. 77. Imagines, quæ in repræ-<sup>aut erroris</sup>sentanda Annuntiatione B. Virginis <sup>ocasio præ-</sup>exhibent Puellum e cælo inter ra-<sup>beatur :</sup>

dios descendentem in Uterum Virginis, videntur favere hæresi Valentini, docentis, Corpus Christi non esse assumptum ex substantia Matris 25.). Improbantur Imagines, exhibentes Christum jam gloriosum in cælo coram Patre suo orantem genibus flexis super lignum Crucis.

Item quæ extremo Judicio apponunt B. Virginem & Joannem Baptistam

G

stam

Sed tanquam Symbolum Christi immolati: sicut etiam posset Christus exhiberi sub Symbolo Vitis &c. Quando autem recentissimus Autor Apparatus Eru-  
ditionis p.3. c. 2. art. 6. in fin. dicit: Patres Trullanos Christi imaginem sub specie Agni pingi præcepisse; errorem calami obrepisse censeo. Eadem forma Agni displicere videtur HADRIANO Papæ I. can. 29. dist. 3. de Consecr. nam approbat Canonem Trullanum in Epistola scripta ad TARASIVM, & relata in Actione II. Synodi VII.

25.) Reprehendit pictores harum Imaginum S. ANTONINUS Sum. 3. p. tit. 8. c. 4. §. II. Cum tamen hæc hæresis tempore isto sectatores non habeat, videtur his imaginibus periculum nullum subesse.



stam genibus flexis procumbentes coram Iudice 26.). Optime pingitur S. Michaël cum libra, quæ significet, quod Deus iudicaturus sit animam in æquitate: sed erroris occasionem præbent Imagines, ubi in una statera ponderatur anima cum catalogo malorum operum, adstante dæmone, qui lancem conatur deprimere: in altera ponuntur eius virtutes, addito etiam quodam signo externæ devotionis ab eo homine exercitæ e. g. Rosario &c. ac si mala opera non excluderent e cælo modo bona numero præponderent 27.). Periculum erroris aliqui deprehendunt in Imagine S. Ægyptii manum imponentis Carolo Martello:

---

26.) Videtur hæc Imago sapere dogma ab AUGUSTINO Lib. XXI. de Civit. Dei c. 18. & 24. rejectum de damnatorum salvatione per preces & intercessionem Sanctorum. Huc etiam pertinet apud GRATIANUM can. 20. XIII. q. 2. ex S. HIERONYMO desumptus.

27.) Talis doctrina continetur inter Sermones S. AUGUSTINI, nunc in appendice tomi VI. fol. 278. Sanam doctrinam sermonis, & imagines defendit SERAPHIUS in Josue c. 5. q. 45. fol. 551.



lo: ex historia enim ibi repræsentata forte quis colligeret, peccatum occultum posse absque Sacramentali Confessione per preces S. Ægydii dimitti 28.). Similiter occasionem erroris præbere possunt repræsentationes innixæ incertis historiis, vel revelationibus privatis. Unde etiam approbante Urbano VIII. decretum fuit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu Martyrii fama defunctorum imagines, cum laureolis aut radiis, in Oratoriis vel Ecclesiis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur: item ne ad eorum sepulchra tabellæ aut imagines appendantur, quæ tamen separato ab Ecclesia loco custodiri permittuntur, si ad qualemcunque suo tempore probationem sanctitatis facere possint 29.).

G 2

§. 78.

28.) Hanc historiam in sensu Catholico explicant Hagiographi Antwerp. ad diem 1. Septembr. fol. 303. Lit. D.

29. Bullar. Rom. Tom. 4. fol. 54. & 55.



*Tolerantur  
tamen er-  
rores minus  
periculosi.*

§. 78. Nihilominus errores quos-  
dam minus periculosos imaginibus  
pictores passim admiscunt, a nemine  
reprehensi e. g. dum pingunt Christum  
Corpus e cruce in gremio Matris  
positum, sine livore, cruore vel  
plaga, exceptis quinque vulneribus  
manuum, pedum & lateribus  
forte magis solliciti de ostentanda  
arte, quam exhibenda veritate 30.)  
item dum repræsentant Christum a  
Cœnam sedentem, cum solæ fami-  
næ sedere, Viri vero accumbere so-  
lerent; vel ex aperto sepulchro re-  
surgentem; vel custodes ad Sepul-  
chrum dormientes: dum S. Hiero-  
nymo appingunt rubrum Galerianum  
Cardinalitium. Cum tamen omnes  
historiarum circumstantiæ non po-  
teant ex authenticis documentis  
tribuendum aliquid est pictoris  
phantasiæ, aut etiam communi usu

31.)

30.) Originem hæc imagines videntur ha-  
bere ex Dialogo *de Passione Domini* inter  
opera S. ANSELMI, ubi B. Virgo narra-  
ad consolationem suam & discipulorum  
glorificatum fuisse Corpus Filii sui,  
nulla plaga in eo apparuerit, præter quibus  
que Vulnerum cicatrices.



31.) : cauti tamen esse debent tam artifices in formandis, quam Prælati in admittendis Imaginibus in Ecclesiam 32.). Ubi autem ex dictis aliqua jam extant, periculum erroris potest corrigi per salutarem doctrinam, qua populus in Catechesi & Concionibus eruditur, instruendus simul de metaphorica representatione S. Christophori, Georgii, B. Virginis gladiis transfixæ, dæmonum varias machinas ad tentandos moribundos adhibentium, aut animam e corpore ad tartara funibus trahentium &c.

§. 79. Tolerari autem nequa-*Imagines* quam debent Imagines lascivæ, vel *non debent* sanctitatem domus DEI dedecentes, esse *inde-* ubi Sanctæ Virgines, viventium mu-*centes* ;

G 3                    lier-

31.) Nec phantasiæ, nec communi usui adeo indulgeant Pictores, ut prodant crassam ignorantiam historiæ & morum antiquorum. Quosdam ejusmodi errores notat M. LE PELLETIER in Dissert. sur les erreurs des Peintres, quam inserunt Trivultienfes Diario suo ann. 1704. pag. 1981. & 2144. item ann. 1705. pag. 169. 516. 665. 1614.

32.) Antequam Imagines publice exponantur, deberent ab Episcopo approbari juxta Concilium Tridentinum.



liercularum vultus referunt, & umbratili velamento amantium oculos pascunt 33.). Mandat Concilium TRIDENTINUM 34.), ut proci venustate imagines non pingantur, ne ornentur. Facile enim contingit, ut intuentes magis moveat Magdalena nuditas, quam lacrymæ: ut casta Susanna non duos tantum Senes ad libidinem concitet: ut curiosius spectetur Bethsabea lavans, quam David pœnitens. Nimia cultus vanitas Sanctos dedecet: possunt tamen pingi in vestibus pretiosis; quarum gemmæ & margaritæ ornant, ad repræsentandam eorum gloriam in cœlo. Aliquæ Imagines non habent quidem objectum in se sacrum: referuntur tamen ad aliquem sacrum usum religionis, uti imago Dæmonis, Mortis, Inferni. Cavendum ne etiam in his aliquid repræsentetur contra Decentiam, vel Christianæ Religionis dogmata. Hinc tolerandum

- 
- 33.) Exprobratur Gentilibus, quod Praxiteles Veneris Cnidie imaginem construxerat similem eam fecerit Cratinæ, quam adorabat, ut adorarent miseri amicam Praxitelis. CLEMENS ALEXANDR. Orat. ad Gent. ARNOB. lib. 6. advers. gent.
- 34.) Sess. XXV.



randum non est, ut diabolus tentans Christum in deserto, repræsentetur indutus habitu Monachali & cucullo : ut Sacris Imaginibus adjiciantur ridicula parerga.

§. 80. Merito etiam tolluntur *Nec diffidiorum*  
Imagines diffidiorum causam præ-*diorum*  
bentes. Plura Decreta Pontificum *causam*  
de repræsentando Habitu quorun-*præbere.*  
dam Sanctorum, alibi retulimus 35.).  
Cautum olim erat ad discordias exterminandas, ne stigmata S. Catharinæ Senensi impressa repræsententur 36.). Inhibitum etiam est, ne Imagines Christi, Deiparæ, Angelorum, Sanctorumque aliorum pingantur cum habitu certorum Ordinum, aut aliter, quam in Ecclesia hæctenus viguit usus. Autoritate etiam Principum Sæcularium tollendæ

G 4 dæ

35.) Hierarch. Eccl. tit. 35. §. 448.

36.) Bulla Sixti IV. legi potest apud MARTENE in Collect. veter. Scriptor. tom. 6. Col. 1382. Eruditum libellum pro his Imaginibus S. Catharinæ Senensis scripsit VINCENTIUS JUSTINIANUS ANTI-STIUS, ubi in fine adjungitur Decretum Clementis VIII. ne quid innovaretur, donec hoc negotium a S. Congregatione Rituum declaratum fuerit.



da essent & abolenda Imagines, in quibus nonnulli A catholici Romanum Pontificem, Sacramenta Ecclesiae, aliosque ritus Catholicos sub figuris calumniosis ac impiis exhibent. Universim autem circa tollendos abusus in pingendis Imaginibus cavendum est, ne privata autoritate aliquid attentetur, unde Fideles turbari magis possent. Servanda potius doctrina Concilii Tridentini 37. ), ut si dubius, aut difficilis abusus extirpandus sit, Episcopus exquirat sententiam Concilii Provincialis, nihilque novum, aut in Ecclesia haecenus inusitatum discernatur inconsulto Romano Pontifice.

*Cavendus* §. 81. Si Imagines rite, decen-  
*usus Imagi-* terque sunt factae, legitimus quo-  
*num sa-* que debet esse earum usus absque  
*crarum ad* ulla superstitione. Peccatur contra  
*effectus va-* hanc Regulam, quando D. Pauli  
*nos:* vel S. Urbani Imagines in profluentem vel puteum conjiciuntur, festi-  
 vis eorum diebus forsan incidentibus in foedam tempestatem, vel pluvium

37. ) Cit. Sess. XXV.



*De Sacris Imaginibus.* 105

vium cœlum 38.). Gregorius X. in Concilio Lugdunensi reprobatur de-  
testabilem usum horrendæ indevo-  
tionis illorum, qui tempore cessa-  
tionis a Divinis, Crucis, B. Mariæ  
Virginis, aliorumque Sanctorum  
Imagines seu statuas irreverenti ausu  
tractantes, eas prosternunt in ter-  
ram, & urticis spinisque suppo-  
nunt 39.). Usus etiam periculosus  
est, si Sacris Imaginibus inscriban-  
tur certæ pollicitationes, eos qui  
secum gestarent tales imagines, non  
sine pœnitentia aut Sacramentis de-  
cessuros; aut illo die ab omni in-  
fortunio liberandos; aut prospe-  
rum in negotiis eventum habituros  
40.). Vix non superstitionem fidu-  
ciam ponunt aliqui in Nummis,  
quibus impressa est Imago S. Geor-  
gii, aut S. Christophori 41.).

G 5 §. 82.

---

38.) MARTINUS DE ARLES tr. de Super-  
stitionib. simile quid refert de Imagine S.  
Petri, aut Corpore S. Felicis.

39.) C. 2. de Offic. Ord. in 6.

40.) Concil. Cameracens. ann. 1565. tit. 19.  
de Sanctis c. 6. idem cavendum monet in  
invocatione Sanctorum.

41.) Hujus Sancti Imaginibus nonnullis  
inscribuntur hi versus:

Chri-



*Aut profa-  
narum ad  
effectus sa-  
cros.*

§. 82. Sicut superstitiosum est  
Imagines Sacras ad vanos usus  
sumere, ita pariter superstitiosum  
videtur, imagines, quæ nihil Sacrum  
præferunt, ad effectus sacros adhi-  
bere. Indignatur BENEDICTUS  
XIV. figuræ pollicis inter Indices  
& medium digitum prominenti  
quo nonnulli fugari dæmones pu-  
tant 42.). Sigilla Talismannica  
five sint Astronomica, five Magica  
five Mixta; imagines Ragieli, Chæ-  
Thetel, Salomonis, Hermetis,  
similes nugæ omnino explode-  
oportet. 43.).

§. 83.

Christophore Sancte, virtutes sunt tibi  
tantæ :

Qui te mane vident, nocturno tem-  
pore rident.

42.) Figura hæc censetur originem tra-  
here ex turpi figura, qua Romani Ethnici  
utebantur contra fascinum : & de ea  
intelligunt aliqui OVIDIUM lib. 5. Fascin-

Signaque dat digitis medio cum  
pollice junctis,

Occurrat tacito ne levis umbra fibi.  
Plura de ejusmodi signis Romanorum ve-  
deri possunt apud VINCENTIUM ALSA-  
RIUM de Invidia & Fascino Veterum  
Tom. 12. GRÆVII.

43.) Speculum Lapidum CAMILLI Let-



De Sacris Imaginibus. 107

§. 83. Locus Imaginum sacrarum *Locus Imaginum de-*  
debet esse decens & honestus. Etiam *bet esse de-*  
Leges Civiles jubent honorandas *bet esse de-*  
Cruces non alibi, nisi in venerabilibus *cens.*  
locis reponi 44.) ; voluntque *signum*  
Salvatoris Christi nemini licere vel in  
solo, vel in silice, vel in marmoribus  
humi positis insculpere, vel pingere 45.).  
Quam Legem ut ad nostra tempora  
accommodemus, non de nudo signo  
Crucis, quod ubique lapidibus se-  
pulchralibus insculpi videmus, sed  
potius de Effigie Christi e Cruce  
pendentis interpretari malo, ne  
pedibus conculcetur. Eadem in res  
sacras Religio exigit, ut etiam aliæ  
piæ Imagines humi non ponantur,  
ubi irreverentiæ transeuntiura expo-  
nantur : alias enim, ut conqueri-  
tur

---

NARDI, PARACELSIUS de occulta Philo-  
sophia, GAFFARELLI Curiositates inau-  
ditæ cap. 6. seq. qui Autor reprehendit  
quidem aliquas superstitiones ; in alias  
tamen ipse incidit, laudando figuras Ta-  
lismannicas Astronomicas, quas damnat  
THIERS de Superstitionib. l. V. c. 2. LE  
BRUN Histoire Critique des Pratiques  
Superstitieuses. lib. III. c. 1.

44.) Novell. 123. c. 32.

45.) L. un. C. Nemini licere Signum Sal-  
vatoris &c.



tur S. Bernardus 46.) , sepe spiritus  
 in ore Angeli , sepe alicujus Sanctorum  
 facies calcibus tunditur transeuntium  
 Fixione Crucis profana loca expia  
 ri , Deoque consecrari creduntur  
 47.) : passim etiam usus habet ,  
 signum Crucis apponatur Instru  
 mentis ab iis , qui literarum fun  
 gnari , aut scribere præpediunt  
 48.) . Idem signum , aut Imagines  
 Christi , B. Virginis , aliorumque  
 Sanctorum , passim videmus in  
 pressas Nummis aureis & argenteis  
 aut etiam sigillis : expositas in vi  
 publicis ad fovendam transeuntium  
 pietatem 49.) : collocatas in navibus  
 eorum honori dedicatis 50.) . Præ  
 cipuus

46.) Apolog. de Vit. & Morib. Relig. c. 11.

47.) Nov. V. c. I. Nov. 67. c. I. Nov.  
 131. c. 7. L. ult. C. Theod. de paganis  
 Sacrific. & Templis.

48.) L. ult. §. 2. C. de Jure deliber. Nov.  
 JUST. 90. præfat. Nov. LEONIS. 72.

49.) Synod. NICÆN. II. act. 7.

50.) Non laudant aliqui , nominari nave  
 ab ejusmodi Sanctis , cum aliæ nave  
 frequenter habeant nomina profanissima  
 unde concursus horum nominum sæpe  
 indecentiam prodit. Multo minus to  
 randum , ut tabernæ præferant Indi  
 cia ac nomina Sanctorum.



cipuus autem locus Sacrarum Imaginum sunt Tempła, aut etiam Aræ (51.): sicut enim Corpora Sanctorum sub Altari reponuntur, aut illorum Reliquiæ super Altari collocantur, ipsæque Aræ Summo DEO in honore Sanctorum consecrantur: ita etiam eorundem Imagines ad ornatum Aræ, & ad memoriam ac venerationem Fidelibus ingenerandam exponi possunt: exponendi autem Imaginem Crucifixi sub celebratione Missæ, præceptum est (52.). Sicut autem in locis inhonestis collocari non debent; ita etiam in honestissimis & sacris decenter habendæ, a sordibus defendendæ, nec alia ratione deformandæ sunt (53.).

§. 84.)

- 
- 51.) Profana fuit Imago, quam Christiani abhorrebant, prout narrat OPTATUS MILEVIT. de Schism. Donatist. in fine libri 3. Insuper Imagines Beatorum, necdum Canonizatorum, super Altari collocari non debent inconsulta Sede Apostolica, prout Decretum fuit sub ALEXANDRO VII.
- 52.) Ad tollendos hac in re aliquos abusus, edidit BENEDICTUS XIV. Constitutionem, quæ est 17. tom. 2. Bullarii sui.
- 53.) Qui occasione Ecclesiæ tapetibus ornantur



*Spectacula  
pia.*

110

*Seç. 1. Tit. VI.*

§. 84. Porro quod Imagines præstant, ut rudis populus erudiat, id etiam fieri solet piis quibusdam spectaculis. In multis Germanicis locis adhuc hodie representatur Templis Ascensio Christi in cælum, descensus Spiritus Sancti, Historiæ Christi Nati, a Magis adorati, Hierosolymam inveci super Asinum Improbari hæc non debent, si decenter & devote fiant (54.). Siquis

---

nandæ, frontem Imaginis D. Petri pariete depictæ clavo transfixerat, tolerabili capitis dolore, qui tamen rixo clavo mox mitigatus est, temeritatem suam luebat in Civitate Citiensis, cujus Episcopus veritatem rei iurejurando confirmavit in Synodo NICÆNA act. 4.

54.) Vid. CONRAD. BRUNUS de Imaginibus c. 17. MOLANUS Hist. Imag. lib. IV. c. 18. Romæ olim in Dominica infra octavam Ascensionis, Pontifice concionante ad Populum habentē de futuro festo Pentecostes, ex summo tholo Ecclesiæ Mariæ ad Martyres projiciebantur supra populum Rosæ, tanquam symbolum ignearum, quæ die Pentecostes supra capita discipulorum apparebant. ANTON. BALDASSARRI La Rosa d'Or cap. 3. n. 1.



*De Sacris Imaginibus.* III

55.) aliud non improbat, quam in-  
conditas infimæ plebis voces, aut  
similes abusus fors alicubi fieri soli-  
tos, laudamus ejus crisin: si vero  
*bispidam* devotionem credit, qua  
Christi Imago inter Angelos ad Ec-  
clesiæ tholum trahitur, cantante in-  
terim Sacerdote, & respondente  
choro ex precibus & versibus Ec-  
clesiæ; tunc eodem jure etiam pi-  
etas Imagines, Christi Ascensionem  
repræsentantes improbare debet.  
Scilicet nimis acerba crisi impro-  
bant, quidquid apud se fieri non  
conspiciunt, ignari, quod etiam  
ritus aliqui ipsis consueti, æque  
carpantur ab aliis.

TITULUS VII.

DE CAMPANIS, ET INSTRU-  
MENTIS MUSICIS.

§. 85.

UT finis, ad quem Ecclesiæ con- *Campanas.*  
struuntur, obtineatur, varia  
vel

---

55.) MURATORIUS de Nævis in Religio-  
nem incurrentibus c. 10.



vel opportuna, vel necessaria sunt.  
 Ut eo convocetur populus ad Officia Divina, Campanis ex ære stanno conflatis, & ex alta Turris suspensis utimur. Primi Christianis sævientibus Tyrannorum persecutionibus, publicum & streperum futurum adhibere non poterant. Singuli debebant nominatim certis temporibus convocari: quod minus inter alia pertinebat ad Diaconos 56.). Post redditam Ecclesie pacem Christiani Campanam, (Æs campanum 57.), alio nomine

Tin-

56.) S. IGNATIUS M. ad Heronem Diaconum Epist. 13. scribit: *Synaxes ne negligas: omnes nominatim inquire.*

57.) Desumpta vox creditur ex Campana Provincia Italiæ, non quidem, quod Campanæ primum inventæ fuerint, cuius rei vestigium non invenitur: sed foras ibidem commodior modus suspendendi æquilibrandi Campanas in usum tractatus est. Unde etiam apud Græcos auctores inferioris ævi inveniuntur voces *καμπανος*, *καμπανιζειν*, pro statere ponderare. ACHMES Oneirocrit. c. 1. *ζυγον, ἢ το λεγομενον καμπανον.* Plura exempla refert JOAN. MEURSIUS in Glossario Græco-barbaro. V. *καμπανος*



Tintinnabulum 58.), seu Nola (59.), quam Ethnici pridem adhibuerant ad usus profanos & sacros 60.), usurpare cœperunt pro convocando populo ad Ecclesias. Sicut Turcæ non utuntur Campanis, sed populum stentorea Sacerdotis voce

H ex

- 
- 58.) Vox desumpta a *Tinnitu*, qui est proprius metalli sonus.
- 59.) Nola dicitur ab Urbe hujus nominis in Campania, forte ob celebres artifices ibi habitantes. Utitur hac voce *QUINTILIANUS* Orat. Instit. Lib. VIII. c. ult. ubi refert antiqui Oratoris ænigma *In cubiculo Nola*. Plerumque *Nola* sumitur pro Tintinnabulo minore, *Campana* pro majore. Hæc apud Germanos vocatur *Glock*: unde vox latino-barbara *Clocca*, quæ reperitur in *CAROLI M. Capitular. III. ann. 789. c. 18. In Vita S. Anscharii 3. Februarii: S. Angilberti 18. Febr. S. Liobæ 28. Septembris, & aliis ejus ævi Scriptoribus. In eadem vita S. Angilberti inter alia supellectilia Monasterii Centulensis numerantur Schilla tres, seu Nolæ & Tintinnabula minora, germanice Schell.*
- 60.) Varia loca veterum Autorum recenset *ANGELUS ROCCHA* de Campanis cap. 3. *HIERONYMUS MAGIUS* de Tintinnabulis. cap. 3. seqq.



ex turri ad templum invitant: nec Græcis inter se habitantibus usum Campanarum permittunt, earum sono detur signum tumultus vel conspirationis, qui proin pulsatione tabulæ lignæ utuntur, quæ *Synagoga* a convocando populo dicitur aut ferrea lamina ferreo malleo percussa, quam vocant *κτυοσιδρον* id est, *Sacrum ferrum* 61.).

*Ecclesia* §. 86. Numerus & magnitudo Campanarum deberet respondere Dignitati Ecclesiæ 62.), ut etiam

61.) Formam hujus instrumenti exhibet *Magister* cap. 15. De pulsatis lignis factam mentionem facit Concil. Nicæni. II. Act. 10. Serius enim in Oriente, quam in Occidente invaluerat Usus Campanarum.

62.) Vid. Acta Synodalia Mediolan. part. 2. fol. 328. Magnitudine sua celebris Campana Erfurtensis, Rothomagensis, præ omnibus Nanckinensis in Sinis. Vid. *KIRCHERUS* China Illustrata p. 5. fol. 222. item *Musurgia* tom. 1. lib. 6. part. 4. c. 6. Observat *THIERS* de Superstit. p. II. l. c. 12. que les gens les plus grossiers sont ceux, qui aiment davantage les cloches & le son des Cloches . . . les Allemands & les Flamans en ont de grosses & de grand nombre & cela vient de leur politesse &c. Editor libri *Hollandicus* in additionibus ad finem adjectis dicit tout



hac in re primas ferat Ecclesia Cathedralis; hanc sequatur Parochialis. Religiosis Mendicantibus, præter campanulas in Refectoriis, Capitulis & aliis Officinis, unicam permittit Campanam JOANNES XXII. 63.). Consuetudo contraria non est universim extendenda; sed ad locum individuum, ubi viget, restringenda 64.). INNOCENTIUS XI. autem universim concedit, ut Fratres Ordinis Prædicatorum in suis respective Conventibus, seu Domibus Regularibus, sive Ecclesiis ubicunque locorum existentibus plures, & quotquot Magister Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existens, sive eorum Prior Provincialis respective determinaverit, Campanas habere, & retinere, illasque ad excitandam populi devotionem pulsare, & pul-

H 2 fari

---

tout le raisonnement de M. Thiers est si plat & si insipide qu'il ne vaut pas la peine qu'on s'y arrete.

63.) Extrav. un. de Offic. Custod. inter commun.

64.) BARBOSA Voto 102. n. 62. seqq.



fari facere libere & licite possint, cilio  
com  
min  
I.

*benedictas  
adhibet*

§. 87. Ritus benedicendi & min  
I.  
IV  
cilio

usus sacros destinandi Campanas, c  
antiquus 66.). Causæ ejus cont  
nentur in precibus sub eo recita  
solitis 67.): & recensentur a Co

- 65.) Const. *Exponi nobis*. 12. Febr. 1668  
inter Innocentii XI. Bullas n. 137.
- 66.) Meminit Ordo Romanus, qui est lib  
antiquissimus. Ceremonia hæc ve  
impropria vocatur a nonnullis *Baptis*  
quia Campanæ aqua benedicta lavantur  
Sancto Infirmorum Oleo & Chrism  
unguntur, eisque nomina imponuntur  
plerumque a Sanctis, pro quorum  
clesiis fieri curantur. Vid. ANDRE  
DU SAUSSAY Panopl. Sacerdot. p. 2. l. 1.  
c. 6. art. 22. Hispani solent etiam ad  
mere virum & mulierem tanquam Pat  
nos. In quibus ceremoniis nulla inter  
venit superstitio, quam cavendam me  
net supra allegatum Capitulare CAROL  
M. *ut Cloccas non Baptizent*. Abs  
aliquos etiam in nostra Germania  
irrepisse, facile mihi persuadeo: un  
orta est nimium exaggerata querela  
tuum Imperii ad HADRIANUM VI.  
lata. Gravam. cap. 51. de Baptis  
Campanarum.
- 67.) Vid. Pontificale Romanum de Bene  
Campan.
- que  
ad I  
den  
stia  
tur  
Miss  
Ten  
sed  
adm  
pit  
Idea  
tatu  
qua  
mo  
pan  
ne,  
68.  
69.  
D



Concilio COLONIENSI 68.) : solent communiter comprehendi hoc carmine :

- I. Laudo Deum verum : II. Plebem voco : III. Congrego Clerum :  
IV. Defunctos ploro : V. Nimbium fugo : VI. Festaque honoro.

§. 88. I. *Laudo Deum verum.* Frequenter solet signum Campana dari ad Deum adorandum, & preces fundendas. Ad Christum in Eucharistia adorandum, quando pervenitur ad Consecrationem in Sacrificio Missæ, non tantum presentes in Templo per tintinnabulum minus; sed etiam per campanam majorem admonendos esse absentes, præcipit Concilium AQUENSE 69.). Idem fit, quando S. Viaticum portatur ad infirmos: & multis in locis, quando quis in agonia constitutus morti est proximus. Signum Campanæ ad salutandam Virginem mane, meridie & vespere, adscribi

H 3 fo-

68.) Ann. 1536. part. 9. c. 14.

69.) Celebratum ann. 1585. apud HAR-  
DUIN. tom. 10. col. 1529.



solet tum URBANO II. tum CALIXTO III. Romanis Pontificibus ad implorandam Divinam opem contra Saracenos & Turcas, & precandam quietem illis, qui in Sacris expeditionibus occubuerunt 70.) Concessit BENEDICTUS XIII. certas Indulgentias iis, qui has precibus flexis recitarent 71.). Solet etiam in nostris Provinciis numerum dari feriis quintis & sextis recolendam memoriam Agonie Christi in horto, & Mortis in Crucem

Convocandam plebem:

§. 89. II. *Plebem voco.* Campana ex altiore loco suspensæ in illis tantum Ecclesiis admittuntur, in quibus jus est convocandi Plebem ad Divina Officia. Unde in Oratoriis intra Monasteria Religiosorum constructis non

70.) Forte de hoc ipso signo intelligitur quando JOANNES IV. Misnensis Episcopus contulisse scribitur XX. dierum Indulgentiam iis, qui quo tempore Campana, quæ a *precatione* nomen habet, pulsari solet, in Basilica Cathedrali coram Altari preces fuderint. XV. Cal. Novemb. 1428. SIGISMUNDUS CALLES Ser. Misnens. Episcop. fol. 287.

71.) Vid. Card. PETRA tom. 5. ad Constit. Callixti III.



non permittitur Campana 72.), utpote quæ Orationis solum causa constructa fuerant, quando Religiosi nondum poterant in suis Ecclesiis Missas publicas dicere, aut Sacramenta administrare 73.). Ubi autem & postquam hæc permissa sunt, reprehenduntur Episcopi, qui prohibent Religiosos habere Campanam 74.).

§. 90. III. *Congrego Clerum.* Notissimus est usus Campanarum pro convocandis Canonicis ad Capitulum & Clericis ad Horas Canonicas cantandas. Monachi olim convocabantur aut tuba 75.): aut Malleo & lignorum collisione 76.): aut per cantatum Alleluja 77.): aut etiam Tintinnabulo minore seu Nola 78.).

H 4

§. 91.

- 72.) C. 10. de Privileg.
- 73.) C. II. XVI. q. I.
- 74.) C. nimis. 16. de Excess. Prælat.
- 75.) PACHOMIUS in Regul. n. 2. CLIMACUS Grad. 18.
- 76.) CÆSARIUS lib. I. Histor. c. 40. & lib. 6. c. 36. DE LA CERDA Adversar. Sacror. c. 44. n. 22.
- 77.) Id fiebat in Monasteriis Virginum a S. Paula erectis, prout testatur S. HIERONYMUS Epist. 27. ad Eustoch. c. 10.
- 78.) CÆSARIUS Lib. IV. Hist. c. 28. S. HIER.



*Preces pro  
Defunctis  
fundendas:*

§. 91. IV. *Defunctos ploro.* Si-  
lentium Campanarum est signum lu-  
dentium Campanarum est signum lu-  
ctus: unde post mortem S. THO-  
MAE Cantuariensis Archiepiscopi  
anno fere integro sonus Campana-  
rum suspensus est 79.) , quod pra-  
cipue fiebat ob Interdictum Eccle-  
siae; hoc enim durante silent cam-  
panæ 80.) ; uti & in triduo Heb-  
domadæ Sanctæ 81.) . Quod autem  
in funeribus Christianorum Campa-  
næ sonent, ratio est, quia hoc so-  
nitu monentur fideles ad orationem  
pro defunctis faciendam. Mentio  
alicubi 82.) fit Campanarum ma-  
nualium pro mortuis, sicut etiam  
Tintinnabuli, quando Eucharistia  
portatur ad infirmos.

§. 92.

HIERONYM. in Regul. Monach. c. 33.  
*Nullum ex vobis dormientem reperiat  
Campanilis sonitus.* Tale signum intel-  
ligit S. BENEDICTUS Regul. c. 43. Vid.  
ROSWEYDUS in Vitis Patrum, in Ono-  
mastico Verb. *signum percutere.*

79.) MATTH. PARIS ad ann. 1171.

80.) C. II. de Pœnit. & Remiss. C. alma-  
mater. 24. de sent. Excom. in 6.

81.) GUILIEL. DURANDUS Rational. Di-  
vin. Offic. Lib. VI.

82.) Concilium MERTANENSE ann. 1300  
c. 4.



§. 92. V. *Nimbus fugo.* Persua- *Tempesta-*  
dent sibi aliqui ex Philosophia, Cam- *tes repel-*  
panarum sono aërem scindi, & tem- *endas:*  
pestatum injurias naturali effectu  
depelli. Alii confidunt in virtute  
Divina, quæ precibus Ecclesiæ in  
benedictione Campanarum implora-  
tur. Forte usus pulsandi Campanas  
urgente tempestate ideo invaluit,  
ut populus orandi gratia convoce-  
tur ad Templum, vel saltem ad preces  
domi fundendas admoneatur 83.).  
Nota est devota persuasio populi, qui  
a fulmine & grandine se tutum fore  
confidit, ubi auditur sonus Campa-  
nulæ a S. BENNONE 84.), & a  
H 5 S. WOLF-

83.) Tempestatem bellicam pulsu campa-  
narum depulit S. Lupus Archiepiscopus  
Senonensis, qui Clotarii copiis urbem  
Senonensem obsidentibus, signum dedit  
ad convocandum populum campana  
Ecclesiæ S. Stephani: & mox hostes per-  
terrefacti aufugerunt. Acta SS. ad  
diem 1. Septembr. fol. 258. Aliqui  
inde miraculum eruunt: alii putant, quod  
eo tempore, scilicet ad initium Sæculi  
VII. campanæ non fuerint valde usitatæ:  
proin subitum terrorem incusserint ho-  
stibus.

84.) In loco prope Misnam. Act. SS. 16. Ju-  
nii in Comment. prævio fol. 149.



S. WOLFGANGO benedictæ 85.  
 Unde patet, Fideles longe abesse  
 Ethnicis, qui superstitiose cre-  
 bant, spectra depelli pulsato Tintin-  
 nabulo. *Docendus est ergo populus  
 exterioribus istis, ut signatis potius quam  
 signis inhereat ac intendat* Sc. 86.)  
 Historiolas de sagis ad sonitum Cam-  
 panæ a dæmone destitutis, & simi-  
 libus eventibus credunt aliqui 87.)  
 rejiciunt autem Sacri Canones cum  
 plurimis Autoribus 88.). Repre-  
 hendi certe merentur, qui grandinæ  
 & tonitrua passim adscribunt incar-  
 nationibus hominum: *Mendacii res*  
 est,

85.) Campanula S. WOLFGANGI suspen-  
 sa est ex turri Templi Collegii Societatis  
 JESU Ratisbonæ.

86.) Concilium COLON. ann. 1536. part. 9.  
 c. 15.

87.) GRILLANDUS de Sortilegiis quæst. 7.  
 DELRIO Disquisit. Magic. L. II. q. 16.  
 & Lib. VI. c. 2. Sect. 3. q. 3. BINSFELD  
 de Confess. maleficor. dub. 6. fol. 343. &  
 Fabricatores *Mallei maleficarum.*

88.) Can. 12. XXVI. q. 5. PONZINIBIUS  
 de Lamiis a n. 45. recentissime TARTAG-  
 ROTTUS, SCIPIO MAFFEI, & Autor  
 bellorum, qui inscribuntur: L'Histoire  
 des Imaginations Extravagantes de M.  
 Ouse.



est, qui opus divinum homini tribuit  
nam per hoc inter duo mortifera maxi-  
maque mendacia constringitur, dum te-  
stificatur hominem facere posse quod solius  
DEI est posse; & DEUM non facere, quæ  
facit 89.).

§. 93. VI. Festaque honoro. Ad Festa San-  
hunc finem in multis locis pulsantur & torum ho-  
Campanæ harmoniaco sonitu 90.), noranda:  
vel ingenti & longo strepitu ad ho-  
ras nocturnas æque, ac diurnas, ma-  
jore plerumque molestia vicinorum,  
quam Dei Sanctorumve honore 91.).

Ca-

89.) AGOBARDUS Episcop. Lugdun. in lib.  
contra insulsam vulgi opinionem de  
grandine & tonitruis, inter opera fol.  
138. &c. Acerbius vanam credulitatem  
Christianis exprobrat WIERUS de præ-  
stigiis dæmonum. item in Libro Apo-  
logetico.

90.) Ejusmodi machinas exhibet allegatus  
MAGIUS & ROCCHA. In Notis ad Ma-  
gii cap. 17. ponit SCHWEERTIUS figu-  
ram machinæ, ubi campanæ triginta  
tres organi sonum reddunt.

91.) Unde ex BARBOSA cit. vot. 102. n. 88.  
concludit, prohiberi posse assiduum, &  
intempestivum Nolarum sonitum. I-  
dem sentit ALCIATUS Parergon Juris  
Lib. VIII. c. II. Ad hoc efficiendum  
non opus esset miraculo, quale edidit  
S. ELIGIUS, dum mutam fecit campa-  
nam,



Cavendum etiam summopere, ne quid superstitiosi interveniat 92.) Moderatum tamen Campanarum concentum celebritati Festorum esse opportunum, docent innumeri miri eventus, ubi Campanæ sponte sua, vel potius nutu Divino sonum ediderunt 93.) Similiter in signum gaudii & honoris fit ejusmodi pulsus, quando occurritur adventanti

Pon-

---

nam, ut nullum sonum ederet. SERRIUS in Vita Lib. II. c. 21. ad diem 1. Decembris. Laudanda tamen non est Civitas Burdigalensis, quæ ob rebellionem privata fuerat campanis, ut narrat P. DANIEL Hist. Franc. sub Henrico II. ad ann. 1548. quando autem campanæ debuissent restitui, populus se opposuit, ne quis turbetur importuno earum sonitu. Dictionnaire de Trevoux V. Cloche.

92.) Non sine fastidio alicubi pridie ejusdem festi toto pomeridiano tempore auditivi interpolatos Campanæ ictus, cum Incolis sit persuasum, dentium dolore per eum annum carituros, qui funem Campanæ eo die dentibus attraxerint.

93.) Fere in singulis tomis Hagiographorum Antwerpiensium occurrunt tales narrationes. Videantur eorum Indices Morales Verb. *Campana*.



Pontifici, Episcopo, Imperatori, Re-  
gi aut Principi 94.)

§. 94. Officium pulsandi Campa- *Eas pulsat*  
nas Custodi competit 95.) Cum *Custos per*  
autem Custos id facere per alios per- *Ostiarium.*  
mittatur, Ostiariis hoc munus tri-  
buitur, quibus dicit Pontifex: *Ostia-*  
*rium decet percutere cymbalum & cam-*  
*panam; & Archidiaconus tradit eis fu-*  
*nem campanarum, quas pulsant 96.)*

§. 95. Postquam locuti sumus de *Cantus*  
Campanis, quæ sono suo populum  
ad Ecclesiam convocant: nonnulla  
dicenda videntur de Cantu & Instru-  
mentis Musicis, quorum concentu  
populus in Ecclesia suaviter deti-  
netur.

§. 96. Sanctissimam esse consue- *in Ecclesiis*  
tudinem, qua ad Horas Canonicas  
& Missarum celebritates *Cantus &*  
*Pfal-*

94.) ERMENOLDUS Abbas Prüfeningensis  
credebatur inter campanarum clangores  
obviam processurus HENRICO V. Impe-  
ratori, ex Civitate Ratisbonensi ad Mo-  
nasterium invisenti. Negavit Abbas se  
id permissurum, cum HENRICUS esset  
excommunicatus. Acta Sanctorum ad  
diem 6. Januarii.

95.) C. 1. & 2. de Offic. Custod.

96.) Pontificale Romanum de Ordinat.  
Ostiarior.



Psalmodia in Ecclesiis adhibetur, a ne-  
mine in dubium vocari potest. Usum  
nascentis Ecclesiæ in Oriente & Oc-  
cidente demonstrant plurima veterum  
Scriptorum monumenta 97.)  
Unde Concilium TRIDENTI-  
NUM 98.) inter Ecclesiasticas dis-  
ciplinas, in quibus adolescentes in  
Seminariis erudiri cupit, etiam *Cantum*  
recenset, illum *planum* scilicet,  
qui ad excitandam Fidelium devo-  
tionem & attentionem, modestam  
psallentium gravitate prolatus, no-  
men *Cantus Ecclesiastici* dudum pro-  
meruit.

*vehemen-  
ter mutatus  
est:*

§. 97. Quam diversam Musicæ ra-  
tionem posterior ætas in Ecclesias in-  
troduserit, norunt omnes: illi soli  
non satis videntur perpendere, qui  
in componendis hodiernis modulis  
sunt

97.) Vid. BARONIUS ad Ann. Chr. 600.  
n. 24. seqq. BELLARMIN. Tom. 4.  
Controv. de Bonis Operib. in particulari  
Lib. I. c. 16. SUAREZ tom. 2. de Relig.  
Tr. 4. Lib. IV. c. 7. P. MAGNOALDUS  
ZIEGELBAUR Hist. Rei Liter. Ord. S.  
Bened. part. 2. c. 3. sect. 6. & part. 4. c. 3.  
sect. 3. §. 5. BEVEREGIUS annot. ad  
Can. 15. Concil. Laodiceni. pag. 194.  
98.) Sess. 23. c. 18. de Reform.



sunt exercitatissimi; cum plerumque Cantus Ecclesiastici artem plane ignorent. Ab antiquis observatum esse, notat Cardinalis BONA 99.), nunquam ab aliqua Gente mutatam fuisse Musicam, quin & ipsa in deterius mutata, ipsique mutantium mores in pejora delapsi sint. Apud antiquiores Græcos tota Musicæ scientia Deorum venerationi, adolescentumque institutioni impensa fuit 100.): etiam apud Hebræos Instrumentorum Musicorum sonus & Cantus, non in theatris, sed in Templo audiebatur 1.). Postmodum lascivire Musica in theatris didicit: ac demum theatralem lasciviam ad Sacra Mystera solennius celebranda in Ecclesias transtulit. Tam vocum, quam Instrumentorum rationem habere oportet.

§. 98. Cantum figuratum & harmonicum quod attinet, non ille qui dem prohibetur, quin interdum, diebus festis præcipue sive solennibus in Missis non prohibetur figuratus cum debitis cautelis.

99.) De Divin. Psalm. c. 17. §. 3. n. 3.  
100.) PLUTARCHUS Dialog. de Musica.  
1.) CALMET Dissert. de Musie, Hebræor.



sis & Divinis Officiis aliqua consonantia, quæ melodiam sapiunt, supra Cantum Ecclesiasticum simplicem proferantur sic tamen, ut ipsius Cantus integritas libata permaneat, & nihil ex hoc bene morata Musica immutetur; maxime cum hujusmodi consonantia auditum mulceant, devotionem provocent, psallentium Deo animos torpere non nant 2.). Nimis tamen affectatus & Theatrum redolentes modulationes, uti & fractæ mollesque Euchariorum aut Fæminarum voces, quibus devotio impeditur, verba sacratissima vel truncantur, vel ineptæ repetitione risui exponuntur, animusque ad profanas affectiones excitatur, merito ab Ecclesiis exulare jubentur. Jam sæculo duodecimo JOANNES Salesberiensis, Carnotensis Episcopus 3.) conqueritur de abusu Musica, quæ ipsum quoque Cantum Religionis incestat: dum Cantoribus

- 
- 2.) Extrav. un. inter Commun. de Vita & Honest. Cleric. NAVARRUS Enchiridion de Orat. c. 16.  
 3.) Lib. I. Policratici de Nugis Curialium c. 6.



ante conspectum Domini in ipsis penetra-  
libus Sanctuarii, lascivientis vocis luxu,  
quadam ostentatione sui, muliebribus  
modis, notularum articularumque casu-  
ris, stupentes animulas emollire nituntur.  
Unde Concilium TRIDENTI-  
NUM 4.) jubet, ut Episcopi ab  
Ecclesiis muscas eas, ubi sive organo,  
sive cantu lascivum aut impurum aliquid  
miscetur, arceant. Quibus verbis  
non tam cantiones lascivas, quas  
utique nemo in templis decantare  
audebit, quam eos modulos averfa-  
tur Synodus, qui ad impuras can-  
tilenas vulgo accommodantur 5.).

§. 99. Instrumenta Musica omnes *Instrumenta*  
Veteris Testamenti libri memorant, *ta musica*  
quorum sonitu laudes DEO canta-  
bantur; Spiritus malus a SAULE  
recedebat; Spiritus bonus ELISE-  
UM replebat. Deum enim, quod  
voces pie cantantium, & sonos religio-  
se organizantium benigne susciperet, &  
inter alia Divina obsequia, hac quoque  
devote exhibita approbaret, tantorum  
Prophetarum tam sublimibus exemplis  
I voluit

4.) Sess. 22. Decret. de Celebrat. Missæ.

5.) Sic Concil. CAMERACENS. ann. 1565.  
tit. 6. c. 4. Ne modulatione lascivas cantio-  
nes imitentur.



voluit indicare 6.). Præcipuum usum  
 hac ætate in templis habet Orga-  
 num: quo quidem nomine compre-  
 henduntur omnia vasa Musica 7.)  
 singulariter autem venit Instrumen-  
 tum pnevmaticum, quod aère for-  
 libus immisso animatur. Inventum  
 creditur circa tempora JULIANI  
 Imperatoris, cui adscribi solet Ep-  
 gramma non inelegans *de Organo*. 8.)  
 Ejus usus in Galliam introductus  
 sub Rege PIPINO, cui CONSTAN-  
 TINUS Copronymus dono miserat 9.)  
 Serius in Ecclesiis Occidentis, nati-  
 quam in Ecclesiis Orientis ejusmodi  
 Instrumenta musica fuerunt adhibi-  
 ta. VITALIANUS quidem Pontifex  
 scribitur 10.) Cantum ordinat-  
 se, adhibitis ad consonantiam Or-  
 ganis:

6.) PETRUS Cluniacensis dictus *Venerabilis* tr. adversus Petrobrufian. §. ult. tom. 22. Biblioth. SS. PP. item in Biblioth. Cluniacensi col. 1229.

7.) S. ISIDORUS lib. 3. Origin.

8.) Refert illud PETRUS MARTINIUS *Morrensinus* in Præfat. ad ejusdem Imperatoris opera.

9.) Annales Francorum sub nomine ADELMI ad ann. 757.

10.) PLATINA de Vita Pontif. in vita Vitaliani.



ganis: sed absque fundamento id scribitur. Certe in Pontificia Cappella Romæ, usque ad præsentem diem nullus Organorum musicorum usus, sed sola vocum Musica, eaque gravis cum plano cantu admititur. Alii post tempora demum S. THOMÆ Aquinatis id factum credunt sæculo XIII. 11.); cum Sanctus hic Doctor dicat: *Instrumenta musica non assumit Ecclesia in divinas laudes, ne videatur Judaizare* 12.). Verum S. Thomas loqui censendus est de Ecclesiis sibi notis in Italia: nam usum hunc jam prius viguisse in Anglia & Gallia, desumitur ex ÆLREDO Rievallensi in Anglia, & supra laudato PETRO Cluniacensi in Gallia, quorum uterque floruit & scripsit circa medium Sæculi XII. Imo ex documentis Sæculi X. colligitur, Organi usum jam illa ætate fuisse in quibusdam Angliæ Monasteriis 13.)

I 2

§. 100.

11.) Sic sentit etiam BINGHAM Orig. Eccl. vol. 3. l. 8. c. 7. §. 14.

12.) 2. 2. q. 91. art. 2.

13.) Vid. Histor. Liter. Ord. S. Bened. cit. part. 2. S. WICTERPUS jam sæculo VIII. organum pro temporum conditione satis ele-



Non im-  
probantur :

§. 100. Ut Laudes Divinæ his  
Instrumentis celebrentur , eleganti  
carmine hortatur Christianus Poëta  
Prudentius 14.) : Ne autem in tem-  
plis ad Divina Officia celebranda ad-  
hibeantur , plurimi semper obstite-  
runt. Sæculo VIII. GUTBERTUS  
Abbas , discipulus BEDÆ a LULLO  
Archiepiscopo Moguntino, S. BONI-  
FACII successore, rogat sibi mitti CITHARISTAM , cum Citharam habe-  
ret , & artificem non haberet 15.)  
Utique Abbas hic Citharæ usum non  
voluit adhibere ad celebritatem men-  
sæ suæ , sed potius ad solemnitatem  
Divini Officii in templo. Eodem au-  
tem Sæculo Concilium CLOVES-  
HOVIENSE 16.) Citharistas e Mo-  
nasteriis ejici jubet. S. JUSTINUS  
(vel quisquis est Autor quæstionum  
a Gentibus propositarum ) multis  
laudibus extollit Cantum ; Instru-  
men-

elegans in nova Basilica B. Virginis Ma-  
riæ fieri procurasse scribitur ab aliquo  
quod tamen ex quo fonte hauserit, igno-  
rare se fatetur CAROL. STENGELIUS Res.  
August. p. 2. c. 5. n. 10.

14.) Adversus Judæos.

15.) Epistola hæc a SERARIO refertur in  
Bonifacianas n. 89.

16.) Celebratum anno 747. Can. 20.



menta autem Musica e templis  
sublata dicit 17. ), ea etiam ex ra-  
tione, ut Fideles magis recederent  
a Gentilium ac Judæorum ritibus: usus  
enim horum Instrumentorum malus  
non est; facile tamen in abusum de-  
generat, quod Sæculo XII. deplora-  
bant, & nunc deplorant multi. Ex  
laudati ÆLREDI cultissima Oratione  
hæc pauca depromo 18. ) : *Ad quid,*  
*rogo, terribilis ille follium flatus 19. )*  
*tonitru potius fragorem, quam vocis ex-*  
*primens suavitatem? ad quid illa vocis*  
*contractio & infractio? ... & hæc ridi-*  
*culosa dissolutio vocatur Religio; & ubi*  
*hæc frequentius agitantur, ibi DEO ho-*  
*norabilius serviri clamatur. Stans in-*  
*terea vulgus sonitum follium, crepitum*  
*cymbalorum, harmoniam fistularum, tre-*  
*mens attonitusque miratur &c. &c. Ad*  
*convivia veterum adhibebatur mu-*  
*sica, ut animum a cibus averteret, &*  
*sua concinnitate calorem vini tem-*

I 3                      pera.

17.) Quæst. 107.

18.) Specul. Charit. l. II. c. 23. in Bibl.  
SS. PP. tom. 23.

19.) Eo tempore non videntur organa fuisse satis temperata. In Hist. Lit. Ord. S. Bened. p. 2. pag. 341. sæculo X. refertur organum triginta follibus instructum, quos septuaginta viri agitabant.



peraret 20. ). Hodierna Musica in Divinis Officiis adhiberi videtur, ut animus fidelium a Divinis abstractatur, & fervor pietatis concinnis modulis tepescat.

*Sed eorum  
abusus in  
templis.*

§. 101. Zelus multorum Episcoporum & Synodorum 21. ) remedium huic malo afferre conatus est : MARCELLUS II. Pontifex musica Instrumenta ab Ecclesiis removere constituerat : Patres Concilii Tridentini egerunt de molliore harmonia in templis interdicenda ; Imperator tamen FERDINANDUS optavit, ne cantio quam figuratam appellant, excluderetur, cum sæpe sensum pietatis excitet 22. ) : unde Decretum moderari placuit ad formam quæ habetur *Sess. 22. in Decreto de observ. in celebr. Miss. 23. )*. Plurimis tamen in locis nihil

- 
20. ) PLUTARCH. de Musica circa fin.  
21. ) Synod. CAMERACENS. 1565. tit. 6  
c. 3. & 4. MECHLINIENS. 1570. tit. de  
Offic. & Cult. Div. c. 10. Item ann. 1607.  
tit. 12. c. 7. Conc. ROM. 1725. tit. 15. c. 6.  
22. ) PALLAVICIN. Hist. Conc. Trid. p. 3  
l. 22. c. 5. n. 15.  
23. ) In Hist. Lit. Ord. S. Bened. part. 2  
pag. 345. Patres Concilii mentem mutata  
se dicuntur auditis suavissimis modulis  
Joan-



nihil effectum erat contra illos, qui  
DEI chorum omni phonasorum syntag-  
mate, vosum omnis generis discrimine,  
imo & tubarum clangore, cornutorum  
stridore, alioque strepitu vario, præclare  
gloriantur impleſſe, ne quid prætermitt-  
tere videantur, quod cantisi verba obscu-  
ret, sensumque sepeliat & adobruat 24.).  
Novissime BENEDICTUS XIV. pro  
sua Disciplinæ Ecclesiasticæ studio,  
occasione Anni Sancti ad Episcopos  
per ditionem Ecclesiasticam consti-  
tutos, Epistolam Encyclicam dedit,  
profunda eruditione & documentis  
saluberrimis refertam pro Musica in  
templis rite ordinanda 25.). Ex hac  
Epistola & aliis Ecclesiasticis Libris  
pauca documenta delibare lubet.

I 4 §. 102.

Joannis Petri Aloysii Prænestini. Hujus  
Magistri Capellæ Vaticanæ modulis, men-  
tem MARCELLI II. mutatam fuisse refert  
BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 3. Const.  
3. §. 5. Missi scilicet fuerint Roma Tri-  
dentum, ut idem operarentur in Triden-  
tinis Patribus, quod ante septennium ef-  
fecerant in Marcello Pontifice. Credo,  
quod majorem efficaciam habuerit vo-  
luntas Imperatoris, quam ars Petri Aloy-  
sii.

24.) Verba hæc sunt WILHELMI LINDA-  
NI Panopl. Evang. p. 1. lib. IV. c. 78.

25.) Bullar. tom. 3. Const. 3.



Documen-  
ta pro Musi-  
cæ usu in  
Ecclesijs.

§. 102. I. Ubi retinetur Cantus planus & firmus, curandum est, ut in Choro ad psallendum instituto, hymnorum & Canticis DEI nomen reverenter, distincte, devoteque laudetur 26.). Ne prius psalmi versiculum una pars chori incipiat, quam ex altera præcedens psalmi versiculus finiatur 27.), ut fidelium animi ad devotionem & pietatem excitentur.

§. 103. II. Ubi Cantus figurati & musicorum Instrumentorum usus receptus est, maxime cavendum, ne ipsius Musicæ sonus, quid theatrale aut impudicos amorum, bellorumve classicos modulos referens, in DEI laudibus decantandis imitetur 28.).

§. 104. III. Caveant Episcopi, ne dum in Chorum, musicorum modulos cum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmodum & aliorum que cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur: sic musicam, que organica dicitur, retineant, ut

26.) Conc. TRID. Sess. XXIV. c. 12. de Reform.

27.) Conc. SALMURIENSE ann. 1253. c. 1.

28.) Conc. TOLET. ann. 1566. act. 3. c. II.



ut eorum quæ cantantur verba & intelligi possint, & potius pronuntiatione, quam curiosis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur 29.).

§. 105. IV. In Divinis laudibus, aut omnino in Ecclesiis, nec profana cantica, sonive, nec in Sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, quam ore expressæ, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur 30.). Neque puellarum cantica in Ecclesiis exerceantur 31.).

§. 106. V. Inter Divina Officia, & quo tempore publicæ Fidelium venerationi in Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario vel Missali Romano; vel quæ saltem a SS. Scriptura aut SS. Patribus desumpta sint 32.).

§. 107. VI. Quæ in Missis ad doctrinam & eruditionem fidelium  
I 5 perti-

29.) Idem loc. cit.

30.) Concil. MEDIOLAN. I. 1565. part. 2. n. 51.

31.) Conc. AUTISIODOR. circa ann. 578. c. 9.

32.) ALEXANDER VII. Const. *Piæ sollicitudinis*. 36. ann. 1657. INNOCENTIUS XII.



pertinent, ut Epistola, Evangelium, Symbolum, ita legantur aut canantur, ut praesentes distincte exaudiantur, ut singula verba possint: quae vero laudes pertinent, ut sunt Hymni, *Gloria in Excelsis*, *Sanctus*: in his musica locum habeat, non tamen choris potius, quam choro congruentius, sed gravis, ac movens pios affectus, quae vero ad preces referuntur, si five legantur, siue canantur, si fiant, ut affectus deprecantis potius, quam exultantis laetitia demonstraretur 33.).

§. 108. VII. Indecens est, ut in solemnibus Officiis ob cantorum aut organorum prolixos concentus, mittantur, aut neque a Choro, neque a Sacerdote alta voce dicantur ea, quae sunt praecipua: cujus generis sunt Symbolum, *Sanctus*, *Precatio Dominica*, *Agnus Dei* 34.).

§. 109. VIII. Ubi musicorum Instrumentorum usus permittitur, censuerunt illustres artis musicae Magistri a BENEDICTO XIV. consultati

XII. die 20. August. 1692. in Bullar. 88. tom. 7. Edit. Luxemburg.

33.) Conc. CAMERAC. ann. 1565. tit. 6. c. 34.) Conc. COLON. 1536. part. 2. c. 12.



ca tantum instrumenta adhibenda esse, quæ inserviunt ad corroborandas, sustinendasque cantantium voces, uti præter organum est Barbiton tetrachordon majus & minus (*Violon, Violoncello*), Monaulon pneumaticum (*fagot*), Lyræ tetrachordes (*Violini*), in quibus tamen non edantur modi adeo acuti, ut puerilem potius hilaritatem, quam gravem erga Sacra Mysteria venerationem, animorumque intensionem excitent: eliminata autem e Templis voluerunt Tympana, Cornua venatoria, Tubas, Tibias & Fistulas (*Hautbois, Flutes*).

§. II. IX. Dicta instrumenta ita adhibenda sunt, ut vis quædam verborum cantui adjiciatur, magisque audientium mentibus, eorum sensus infigatur, nequaquam autem voces cantantium opprimantur: neque ita continenter personent, ut solum per momenta aliqua interquiescant, quo liberum spatium præbeant audiendis harmonicis modulationibus, vocumque crispatarum vibrationibus (vulgo *Triller*).

§. III. X. Tolerari etiam possunt Symphonix sine ullo cantu Divinis Officiis intermixtæ, dummodo graves



ves sint, & earum prolixitate tād tubis  
um non afferatur iis, qui vel infē NUS  
viunt, vel adstant Missis 35.). men

§. 112. XI. Si in Hymnis, Psalm agas  
& Canticis, suis vicibus organo c tempo  
natur, omnes tamen eorum ven quam  
culi in Choro distincte pronuntia  
tur 36.).

§. 113. XII. In Missis Defunctu DE  
rum, diebusque Adventus & Qu  
dragesimæ, Festis duntaxat excepti C  
Organa non pulsantur, nec ali  
quodvis instrumentum adhibeat  
Dominica autem Adventus tert  
dicta *Gaudete*, & Quadragesim  
quarta, nuncupata *Letare*, pulsa  
Organa permittuntur in Missa tan  
tummodo Conventuali 37.).

§. 114. Finem imponat CLE  
MENS *Alexandrinus* & ejus Com  
mentator. CLEMENS quidem, 39.)  
vehementer invehitur in molles  
enervatas harmonias: simulque  
sensu tropologico explicat ver  
Psalmorum, quibus Deum lauda  
jubemur in Psalterio & tympano  
tubis

35.) SUAREZ loc. cit. c. 13. n. 17.

36.) CONC. MEDIOL. cit. loc.

37.) BENEDICTUS XIII. in Conc. Ro  
tit. XV. c. 6.

38.) Lib. 2. Pædagogi. c. 4.



tad  
inf  
calm  
no c  
ver  
ntie  
und  
Que  
cept  
c ali  
beat  
tert  
gesim  
puls  
fa ta  
CL  
Com  
m. 3  
lles  
que  
vert  
auda  
pano  
ubis

tubis bene sonantibus. GENTIA-  
NUS HERVETUS autem in Com-  
mentario addit hæc verba: *Sed quid  
agas, cum tales sint hodie mores, talia  
tempora, ut ea sint potius toleranda,  
quam tollenda, ne graviora accidant.*

TITULUS VIII.

DE SACRA TEMPLI SUPEL-  
LECTILE.

Conf. Decretal. Lib. 3. t. 44.

§. 115.

PRO supellectile interioris Templi  
varia requiruntur Vasa. I. Ad  
Sacrificium Missæ, cum Patena Ca-  
lix aureus vel argenteus 39.), aut  
ob

*Pro supel-  
lectile Tem-  
pli requi-  
runtur Va-  
sa:*

39.) Can. 44. & 45. Dist. 1. de Consecrat. In  
prima Ecclesia adhibitos fuisse Calices ex  
viliore materia, constat: adhibitos tamen  
in celebrioribus locis etiam fuisse aureos  
& argenteos, æque certum est. De tem-  
pore S. LAURENTII, qui in persecutio-  
ne Valeriana passus est, PRUDENTIUS  
*περι σεφαιων.* hymn. II. v. 65. seqq. in-  
ducit Tyrannum ita loquentem:

Hunc esse vestris Orgiis  
Moremque & artem proditum est,  
Hanc disciplinam foederis,  
Libent ut AURO Antistites.  
ARGENTEIS Scyphis ferunt

Fu-



ob summam paupertatem stanne  
 (non tamen vitreus, nec ligneus  
 nec ex cupro aut orichalco) ab Episcopo  
 scopo consecratus & sancto Chris-  
 mate delibutus 40.). II. Ad  
 servandam Eucharistiam, Tabernaculum,  
 ciborium, aliaque pro minoribus  
 ad Communionem Fidelium  
 vandis, & ad Viaticum ægrotantibus  
 portandis: item Hierotheca, in qua  
 major Sacra Hostia per crystallum  
 relucens populo monstratur. III. Per  
 asservando Oleo infirmorum, Cat  
 chumenorum, & Chrismate. St  
 tuit autem Concilium LATERA-  
 NENSE 41.), *ut in cunctis Ecclesiis*  
 42.). *Chrisma & Eucharistia sub fidelium*  
*custodia clavibus adhibitis conserventur*

Fumare Sacrum Sanguinem,  
 AUROque nocturnis Sacris  
 Adstare fixos cereos.

Add. S. AUGUST. I. III. contra Crescon-  
 c. 29. THEODORETUS lib. III. c. 11.  
 40.) Pontificale Rom. p. 2. De Patene  
 Calicis Consecrat.

41.) Relatum in C. I. de Custod. Eucha-  
 42.) Intelligitur hoc de Ecclesiis Parochi-  
 libus. Regulares tamen in suis Ecclesiis  
 asservant etiam Oleum Infirmitatis pro  
 fibus intra suos domesticos parietes.



ne possit ad illa temeraria manus ex-  
nendi ad aliqua horribilia, vel nefaria  
exercenda &c.

Chr. §. 116. Requiritur pariter Ve-  
stes :  
costes pro Sacerdotibus & Ministris, ea  
berna forma & colorum diversitate, quæ  
pyhis temporibus passim in Occidente  
ecra est consueta. Ad nostrum proposi-  
refe-  
fitum parum refert, an primis tri-  
tor-  
nibus aliis, quam communi vestium  
tallu-  
forma fuerint usi 43.) : Sæculo  
II. Pe-  
quarto, sacrarum vestium usus abs-  
Cate-  
que dubio vigeat 44.). Res hæc  
Sta-  
ad Disciplinam pertinet, & muta-  
FER-  
tioni obnoxia est. Si enim in qua-  
Recl-  
vis Republica inveniantur Leges  
b fil-  
Rem vestiariam concernentes: de-  
vent-  
cet etiam, ut Ecclesia suis Clericis,  
ne  
præcipue in Sacrorum administra-  
tionem peculiarem vestitum designet,  
pro majore decentia, Ecclesiarum  
conformitate & unitate. Nectamen  
credendum, has Vestes originem  
suam

- 43.) Affirmat Card. BONA Rer. Liturg. I.  
I. c. 5. n. 2. & c. 24. Negat BINGHAM  
lib. 13. c. 8. §. 1.  
44.) BINGHAM ibid. §. 2. ex THEODO-  
RETO lib. II. c. 57. ATHANASIO Apolog.  
2. SOZOM. lib. II. c. 22.



suam trahere ex mysticis illis significationibus, quas DURANDUS alii pii Scriptores illis devote commodant. Vestes Sacerdotum Levitarum, ut sacris tantum usibus dicatæ sciatur, benedicuntur Episcopo, vel Sacerdote habente facultatem, scilicet Amictus, Humerale, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casula, Tunica, Dalmatica, Pluviale, & pro Episcopo etiam Sandalia, Chirothecæ, Crotale ante pectus, Mitra & Pedum Processionale.

*Mappa:*

§. 117. Eadem ratione benedicuntur Mappæ pro tegendis aris, quibus accedit Corporale, cui Sacramentum Hostia & Calix imponitur. Et quædam Corporalia & Vasa, quæ ipsi sustinuerunt impositum Sacramentum Eucharistiæ, ob reverentiam non solent tangi a Laicis: sed solum a Sacerdotibus & Clericis, qui solum tem sint Subdiaconi.

*Candelabra:*

§. 118. Candelabrorum & Candelarum usus 45.), uti & Lampadum,

45.) Forte luminum usus primis temporibus mere ob necessitatem inter Christianos fuit introductus, cum persecutio metum



*De Templi supellectile.* 145

dum, Thuribuli & Suffitus 46.), ex  
ritibus Veteris Testamenti ad nostras  
Ecclesias traductus est 47.).

§. 119. Libri pro usu Ecclesiæ ne- *Libri.*  
cessarii sunt I. Sacra Scriptura Fide-  
libus prælegenda. In Ecclesiis no-  
strarum regionum, Evangelia & Epi-  
stolæ, quæ per Dominicas & Festa

K totius

metu ante lucem conventus agerent, &  
in cryptis sacrificarent; postea etiam in  
Ecclesiis valde obscuris, quales etiam  
num extant: unde PRUDENTIUS supra  
allegatus: AUROque nocturnis sacris &c.  
Demum servatus fuit iste mos majesta-  
tis causa, ad gaudii significationem, &  
ad lætitiæ testandam: ad quos fines  
cunctæ fere gentes accendebant faces.  
Vid. JOAN. BAPT. LE BRUN in not. ad  
LACTANT. Divin. Instit. lib. VI. c. 2.

46.) Morem adolendi Altaria commemo-  
rat S. AMBROSIUS Com. in Luc. I. v. II.  
Aurei Thuribuli a CHOSROE Ecclesiæ  
Constantinopolitanæ donati, meminit E-  
VAGRIUS lib. VI. c. 20.

47.) Varii miri eventus circa luminaria  
passim referuntur. Candelæ in Templo S.  
VERENÆ sæpe vento extinctæ, sponte  
accenduntur. Act. SS. die 1. Septembr.  
pag. 172. Idem bis accidit ante Corpus  
B. REMACLI. ibid. pag. 707. Valido ven-  
to non extinguuntur luminaria in Trans-  
latione S. CRODOGANGI. ibid. pag. 770.  
Similia reperiuntur in aliis Tomis eorum-  
dem Actorum.



totius anni occurrunt, lingua vernacula legi solitæ, asservantur in Ecclesia; reliqua Biblia juxta vulgaram Editionem Clerici in suis ædibus tenent, eaque, quæ populum scire oportet, in Concionibus & Catechesibus proponunt. II. Statuta Synodalia. III. Libri Rituales; qui scilicet comprehendunt Exorcismos, Benedictiones, Ceremonias & Ritus administrandi Sacramenta, aliasque functiones Sacerdotales ob-eundi: item qui continent Missas, Horas Canonicas, Lytanas &c: IV. Libri, in quibus notantur nomina Baptizatorum, Confirmatorum (horum saltem numerus notatur, si nimia sit copia) matrimonio junctorum, Defunctorum: item Status Parochiæ 48.). Eliminandi autem sunt ab Ecclesiæ adytis, & Parochorum ædibus libri, qui continent varias Benedictiones aut Exorcismos nunquam ab Ecclesia approbatos, & superstitionem potius redolentes.

*Hec asservantur in Sacristia:* §. 120. Ejusmodi suppellectili custodiendæ aptari debet *Sacristia*, vel locus vicinus: *Sacrarium* autem seu *Piscina*

48.) Formulæ inscribendi reperiuntur in Ritualibus Diœcesium,



De Templi supellectile. 147

*Piscina* vocari solet locus, ubi effunduntur, aut reponuntur ea, quæ ex sacris usibus sunt residua, e. g. aqua lavandis Calicibus vel Corporalibus adhibita, Cineres ex combusto gossypio, quo tergitur Sacrum Oleum vel Chrisma &c.

§. 121. Universim circa Ecclesiarum Ornatum & supellectilem merito reprehenduntur Clerici 49.), *Et sint nitida:* Qui non solum Ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa Ministerii, & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrore. Unde præcipitur, ut Oratoria 50.), *Vasa, Corporalia, & vestimenta munda & nitida conserventur:* nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis.

K 2

§. 122.

49.) C. 2. de Custod. Euchar. Pretiositatem rerum sacrarum tanquam incitamentum magnificationis DEI, inter Protestantes summopere commendat WOLFFIUS Jur. natur. part. 8. §. 521. & 522.  
50.) Forte melius legitur *Oraria*, quam vocem explicat Card. BONA Rer. Liturg. l. 1. c. XXIV. n. 6. BEVEREGIUS Annot. in can. 22. Concil. LAODICENI, pag. 195.



*Nec adhibeantur ad usus profanos:* §. 122. Porro indignum valde est ut Sacra Domini Vasa, quaecunque sunt humanis usibus serviant § 1. ): similiter ad profanos usus, aut ad nuptiarum (vel Theatrorum) ornatum divina mysteria non prestentur; ne dum improborum contactu, pompaque secularis luxuria polluantur, ad officia Sacri mysterii videantur indigna § 2. ).

§. 123.

51.) Can. 41. Dist. 1. de Consecr.

52.) Can. 43. ibid. arguit inde Glossa quod ex vestibus profanis cujusdam dominae non debeat fieri Casula, vel quis ornatus Ecclesiae. ABBAS PANNONIT. in c. ad hanc. 4. n. 5. de Relig. Dom. ait, contrarium observari, & male. Sed argumentum hoc nihil probare, patet ex iis, quae annotantur ibidem ad Abbatem Lit. d. item in Glossa marginali ad eandem Glossam. Certe MELANIA Junio sanctissima femina laudatur a PALLADIO in Histor. Lausiaca, quod omnia sua sericea superhumeralia tegumenta (ἡμιφορία) dederit Altaribus, reliqua autem sericea indumenta cum conscidisset, res diversis fecerit Ecclesiasticas. Græca editio Meursii addit piissimam OLYMPIADEM idem fecisse. Econtra NICEPHORUS CALLISTUS libr. 8. Hist. Eccl. c. 32. narrat fluxum unguenti ex corpore S. GLYCERIE M. manantis stitisse, quando supposita fuit argentea pelvis, quæ antea prohibita fuerat ad usus magicos.



De Templi supellectile. 149

§. 123. Sicut autem supellex Tem-  
pli propria, ad manus esse, & ni-  
tude conservari debet: ita vicissim  
supellex aliena & profana Templis  
inferenda non est, ut potius domus  
Laica, quam DEI Basilica videantur:  
nisi propter hostiles incursus, aut incendia  
repentina, seu alias necessitates urgentes,  
ad eas oporteat habere refugium, sic ta-  
men, ut necessitate cessante res in loca  
pristina reportentur (53.).

§. 124. Totam supellectilem Ec-  
clesiæ exacte describit, & singula-  
rum rerum figuras oculis exhibet  
Ornatus Ecclesiasticus, Latino & Ger-  
manico idiomate conscriptus a JA-  
COBO MYLLERO Vicario Ratis-  
bonensi. Plurima ad hanc rem tra-  
dit ANDREAS DU SAUSSAY in  
Panoplia Episcopali, Sacerdotali, &  
Clericali.

TITULUS IX.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS.

Conf. Decretal. lib. 3. tit. 36. ex  
Sext. tit. 17. ex Clement. tit. 11.

§. 125.

**A** Locis Sacris transimus ad re-  
censenda quædam Loca Reli-  
giosa, Inter Loca  
Religiosa,  
K 3 gio-

53.) C. 2. de Custod. Euch.



giosa & Pia, scilicet Monasteria, Academies, Seminaria Clericorum & Hospitalia.

*Censentur  
Monasteria*

§. 126. Monasterii nomine hic intelligimus ædificia habitationi & usui Regularium aptata. In his bene oportet distinguere inter ædes interiores, officinas & receptacula, quæ ipsi Religiosi per Clausuram ab omnibus Sæcularibus separati inhabitant, & propriissime per Monasterii vocabulum intelligimus: & inter alia huic Monasterio annexa ædificia, ut sunt Tempia, officinæ, in quibus Sæculares operam suam pro salario præstant, stabula, horrea, plerumque etiam horti; quæ tamen omnia cum interiori Monasterio, simul uno muro claudi solent. In dispositionibus odiosis, quibus aliquid prohibetur, stricta appellatione per *Monasterium* intelligimus solas ædes interiores, quas ipsi Regulares etiam noctu inhabitant. E. g. quando agitur de prohibitione ingressus intra Clausuram Monasterii, non intelligitur prohibitus ingressus faminarum æque ac virorum in Templum, aliaque ædificia Monasterio conjuncta: e contra quando concessio est favorabilis, e. g. dum conceditur Monaste-



nasterio Jus Asyli, eo gaudere censentur omnia ædificia, quæ intra septa laxiora continentur.

§. 127. Antiquissimæ habitatio-  
nes Monachorum non censebantur *Hodierna,*  
inter Loca Religiosa, cum primi  
Monachi non distinguerentur ab aliis  
Laicis, nisi quod in Ecclesia locum  
primum, ut nobilior Dominici gre-  
gis portio, occuparent (54.). Sin-  
gularem eorum curam, monente  
MARCIANO Imperatore (55.), Pa-  
tres Concilii CHALCEDONENSIS  
commendarunt Episcopis (56.), pro-  
hibentes, ne ullus usquam ædifica-  
re, nec construere possit Monaste-  
rium, vel Oratoriam domum, præ-  
ter sententiam ipsius Civitatis Epi-  
scopi: *Civitatis autem Episcopum oportet eam, quam par est Monasteriorum curam gerere.* Hanc definitionem plurima alia Concilia (57.), & Im-

K 4

pe-

---

54.) JOAN. MORINUS De Discipl. in Admini-  
strat. Sacram. Pœnitentiæ lib. II. c. 17.  
n. 12.

55.) Concil. CHALCEDON. action. 6.

56.) Act. 15. Can. 4. videatur CHRISTIA-  
NUS LUPUS in scholio ad hunc Canonem.

57.) AGATHENSE ann. 506. Can. 27. & 58.

EPAG-



peratores 58.) innovarunt, adeo ut  
 eo etiam tempore, quo Exemptio-  
 nes Monasteriorum jam invaluerant,  
 BONIFACIUS VIII. 59.) statuat Re-  
 gulam, quod Ordinariorum inter-  
 tio quoad Jurisdictionem in Mona-  
 steria de Jure communi sit fundata  
 donec Religiosi Exemptionem suam  
 per exhibitum Privilegium, vel Ca-  
 nonicam quadraginta annorum præ-  
 scriptionem comprobent 60.)

*Exempta  
 ab Episco-  
 porum*

§. 128. Multi quidem Episcopi  
 emolumentum Ecclesiæ ex Monaste-  
 riis proveniens bene perpenderunt,  
 singulari favore ea cumularunt, ad-  
 eo ut eorum liberalitas cohiberi de-  
 buerit, & decerni, ut pro Mona-  
 sterio

EPAONENSE anno 517. Can. 10. &  
 plurima alia. Vid. VAN ESPEN in Repe-  
 gulo Canon. c. 1. Regul. 1.

58.) JUSTINIANUS Nov. 67. c. 1. Nov.  
 123. c. 21. pr. L. 40. C. de Episc. & Cler.

59.) C. 7. de Privileg. in 6.

60.) Hæc regula restringitur ad legem Ju-  
 risdictionis, quia plures Canones eximunt  
 expresse Monasteria quoad quædam capi-  
 ta, a lege Diocesana, ideoque cum tra-  
 lis exemptio sit Jure communi concessa,  
 nullum Monasterium tenetur illam probare,  
 re, ut illa gaudeat. vid. GIBERT. Corp.  
 Jur. Can. tom. 2. fol. 98. & 436.



sterio construendo de Rebus Eccle-  
siae suae non amplius, quam quin-  
quagesimam partem tribuere pos-  
sint 61.). Alii tamen ex Bonis po-  
tius Monasteriorum se ditare quære-  
bant: imo etiam Episcopi aliqui, qui  
de suis Ecclesiis contribuerunt ad  
Monasteria ædificanda, non semper  
habuerunt sinceram Religionis pro-  
movendæ intentionem, sed potius  
reditus Ecclesiarum suarum, quarum  
administratio aliorum oculis erat ex-  
posita, in Monasteria contulerunt,  
ut liberius sibi appropriare possent  
62.). Unde exemptionum primor-  
dia fluxerunt.

§. 129. Exemptionis non plenæ *Lege Dice-*  
species fuit, qua Episcoporum po- *cesana;*  
K 5 testas

61.) C. 74. XII. q. 2.

62.) Notavit hoc & prohibuit Synodus  
CONSTANTINOPOLITANA anno 861. in  
Templo SS. Apostolorum habita Can. 7.  
quæ quidem legitima non est, utpote a  
PHOTIO contra S. IGNATIUM Patriar-  
cham celebrata; multos tamen utiles Ca-  
nones pro disciplina Monastica continet,  
quos refert BEVEREGIUS cum scholiis  
BALSAMONIS & ZONARÆ. Synodic. tom.  
I. pag. 331. & seqq. additis suis annota-  
tionibus in altero tomo fol. 170. seqq.  
HARDUIN. tom. 5. Col. 1198. seqq.



testas in Monasteria ita limitabat  
 ut Fundatoribus reservaretur  
 & conservatio eorundem, ac  
 minatio Præsulum 63.) : accedebat  
 tractu temporis alia insuper Privile-  
 gia adversum Episcoporum excessus  
 quæ potissimum eo spectabant,  
 Monasteria liberarentur ab exactio-  
 nibus & gravaminibus: ut confer-  
 varentur bona donata a Fundatoribus,  
 aut oblata a Fidelibus: ut con-  
 sultum esset quieti Monachorum  
 ut libera relinqueretur Monachis  
 electio Abbatis 64.)

*Vel etiam  
 Jurisdi-  
 ctione.*

§. 130. Ex his initiis secuta de-  
 mum est plena & totalis Exemptio  
 plurimorum Monasteriorum, & in-  
 tegralium Ordinum, qua concessa  
 fuit *Libertas illimitata a potestate  
 Jurisdictione Ordinarii cum immediata  
 subjectione Sedi Apostolica*: adeo  
 non tantum a Lege Diocesana, a  
 qua

- 63.) Conc. TOLET. IX. Can. 2. ann. 655.  
 64.) Concil. CARTHAG. sub Bonifacio ap-  
 no 525. S. GREGOR. M. lib. IV. Epist. 41.  
 & 43. lib. VI. Epist. 12. lib. VII. Epist.  
 18. & 33. Indict. 1. item Epist. 15. & 17.  
 Ind. 2. ex quibus Epistolis concinnati sunt  
 Canones 5. & 6. XVIII. q. 2. Add. For-  
 mular. MARCULFI lib. I. c. I. & not. Bre-  
 NONII ibid.



qua eximebant prædicta Privilegia; sed etiam a Lege Jurisdictionis Episcopalis Monasteria essent liberata 65.)

§. 131. Invaluerant in præjudicium Ordinariorum nimix Exemptiones tempore magni Schismatis, quas Patres Concilii CONSTANTIENSIS pro concipiendis Reformationis articulis deputati revocandas & annullandas censuerunt, exceptis Ecclesiis vel locis noviter & sub conditione Exemptionis fundatis 66.), quibus consonat Decretum MARTINI V. in eodem Concilio publicatum 67.). Cum nihilominus postea Concilio TRIDENTINO graves Exemptionum & Privilegiorum excessus proponerentur, Synodus has Exemptiones ad justam mo-

---

65.) Si in hac materia BRUNO CHASSAING tract. de Privileg. Regularium. plusculum indulget affectui pro Religiosis Ordinibus: nimio vicissim æstu contra Exemptiones se abripi patitur JOAN. LAUNOÏUS tom. 3. vol. 1. & 2. recent. edit.

66.) Apud VON DER HARDT Concil. CONSTANT. tom. 1. part. 10. c. 20. pag. 620.

67.) Sefs. 43.



Et numerus  
Monaste-  
riorum

moderationem, certosque limitatu  
per varia Decreta reduxit 68.). Men  
§. 132. Si Monasteria juxta Conec  
ciliorum & Pontificum Decreta in alios  
tuantur, & juxta primævum Insti  
ti sui spiritum conserventur, dubi  
non est, quin summum decus Con  
emolumentum afferant Christian  
Reipublicæ, non Ecclesiasticæ mili  
lum, sed etiam Politicæ. Nihil  
minus cum ea quoque, quæ ad  
ligionem pertinent, raritate vige  
numerofitate vilescant 69.); hinc cur  
vit semper Ecclesia, ne Monasterio  
rum numerus nimium excre  
Nova Monasteria sine consensu Or  
dinarii nequaquam ædificanda esse  
statuerat supra laudatum Concilium  
CHALCEDONENSE. Multiplicata  
Ordinum Religiosorum diversitate  
statu-

68.) Vid. ERASMUS A CHOKIER tr. De  
Jurisdic. Ordinarii in Exemptos tom. 1.  
JOAN, FRID. KARG Pax Religiosa. L.  
DOV. ENGEL De Privileg. Monasterio  
VAN ESPEN Jur. Eccl. part. 3. tit. 12. C.  
BERT Corp. Jur. Can. tom. 2. fol. 94. ff.  
THOMASSIN. vet. & nov. Eccles. discip.  
p. I. l. 3. c. 40.

69.) IVO CARNOTENS. Epist. 25. ad Ger  
fred. Abbatem Vindocinens.



statutum fuit 70.) , ut Religiosi  
) Mendicantes, nec nova recipiant,  
nec priora Domicilia mutent, aut in  
alios transferant, absque Sedis Apo-  
stolicæ licentia speciali. Sed Conci-  
lium TRIDENTINUM 71.) hanc  
Constitutionem ad Jus commune  
antiquum reduxit, statuens, ne si-  
milia loca de cætero erigantur sine  
Episcopi Diocesani licentia prius  
obtentâ: hanc ex Decreto CLE-  
MENTIS VIII. 72.) impertiri non  
possunt, nisi vocatis & auditis aliorum  
in iisdem civitatibus & locis existi-  
entium Conventuum Prioribus seu Procurato-  
ribus, & aliis interesse habentibus (in-  
ter quos præcipue censendus est  
Princeps seu Magistratus loci, ac Pa-  
rochialium Ecclesiarum Rectores )  
& causa servatis servandis cognita con-  
siterit, in iisdem civitatibus & locis  
novos hujusmodi erigendos Conventus, sine  
aliorum detrimento commode sustentari  
posse. Addit GREGORIUS XV. 73.),  
ut Domus Regularium quorum-  
cunque

- 
- 70.) C. un. de Excess. Prælat. in 6. &  
Clem. 3. de Pœnis.  
71.) Sess. 25. de Regular. c. 3.  
72.) Const. quoniam ad institutam. 99.  
73.) Const. cum alias. 31.



cunque non erigantur, nisi in præc  
 faltem duodecim Religiosi inhabitat  
 re, ac ex redditibus & consuetis elec  
 mosynis sustentari valeant, confer  
 timentibus loci incolis, & Procurato  
 ribus aliarum Religiosarum Domuum  
 non solum in iisdem, sed etiam in  
 aliis per quatuor millia passuum circ  
 cumvicinis locis 74.)

*Restringi-  
 tur :*

§. 133. Hanc autem formam  
 Concilio TRIDENTINO, CLE  
 MENTE VIII. & GREGORIO XVI  
 præscriptam in erigendis novis Con  
 ventibus observari, districtè præci  
 pit URBANUS VIII. 75.) : insuper  
 præ-

74.) Sub nomine Conventus vel Monaste  
 rii numerum duodenarium requirentis,  
 non venit *Hospitium* proprie dictum &  
 simplex, scilicet quod non habet Eccle  
 siam, sed tantum Oratorium privatum.  
 Nec pullat Campanam : nec habet conti  
 nuam habitationem Religiosorum, nec se  
 pulturam, & ubi non possunt ministrari Sa  
 cramenta. PASSERIN. in c. un. de Ex  
 cess. Prælat. in 6. n. 38. seq. HYACINTH.  
 DONAT. Prax. Regular. tom. I. p. 2. tit.  
 I. q. 22. cavendum ne sub nudo nomine  
 Hospitii illudatur Constitutionibus Ponti  
 ficis : nam vera Hospitia non sunt, quæ  
 passim hoc nomine vocantur.

75.) Const. *Romanus*. 25. anno 1624. tom.  
 4. Bullar.



in præcipiens, ut numerus Religiofo-  
rum juxta quantitatem reddituum feu  
conſuetarum eleemoſynarum deter-  
minetur, nec poſtea augeatur: illa  
autem loca, in quibus duodecim Re-  
ligioſi ſuſtentari non poterunt, &  
actu non inhabitaverint, Jurisdictioni  
Ordinarii ſubjacere intelligan-  
tur 76.). Demum INNOCENTIUS  
X. 77.) ſuppreſſit multos Conven-  
tus intra fines Italiae & Inſularum ad-  
jacentium exiſtentes, in quibus ob  
parvum numerum Religioſorum re-  
gularis diſciplina juxta peculiaria cu-  
jusque Ordinis inſtituta ſervari non  
poterat: multos tamen ſub certis  
conditionibus Religioni reſtituit.  
Nuntius Pontificius Coloniensis, ac-  
cepta notitia totius rei geſtae, Ro-  
mam reſcripſit, Germaniam in hoc  
invidere felicitati Italiae 78.). Conci-  
lium TRIDENTINUM 79.) curam  
im-

---

76.) Conſt. *cum ſape.* 43. §. 13. & 14. ann.  
1625.

77.) Conſt. *Instaurandæ.* ann. 1652.

78.) De toto hoc negotio videri poteſt BE-  
NEDICTUS XIV. de Synod. Diceceſ. lib.  
3. c. 2. FAGNANUS in C. Relatum. Ne  
Cler. vel Monach. n. 41. ſeqq.

79.) Sels. 25. c. 5. de Regular.



imponit Episcopis & aliis Superioribus, ut Sanctimonialia ex Monasteriis extra mœnia Urbis vel Oppidinis constitutis, & malorum hominum prædæ aliisque facinoribus sine ullo sæpe custodia expositis, ad Monasteria intra Urbes vel Oppida frequentia reducantur. Curandum est, ut Monasteria Puellarum longius a Monasteriis Monachorum collocentur 80.).

*Nec nova  
ædificantur  
intra can-  
nas.*

§. 134. Quando de novo conventu erigendo agitur, vicini Religiosi urgere solent illas trecentas vel centum quadraginta Cannas, numerando pro singulis octo palmos, intra quas Religiosi Mendicantes, & quidam alii ex Privilegio Pontifici non patiuntur ædificari aliud Monasterium 81.), nisi quis habeat specia-

80.) C. 23. XVIII. q. 2.

81.) De hoc Privilegio videri possunt PARSERINUS in C. un. de Excess. Prael. in n. 82. seqq. PIGNATELL. tom. 10. Consult. 12. Card. PETRA tom. 3. ad Const. 7. Clementis IV. aliique passim, qui in rebus Regularium scribunt. Hieronymus SORBO Compend. privileg. v. ædificatio putat, hoc Privilegium in multis Circumstantiis non esse in usu.



le Privilegium, quo eximatur ab ob-  
servatione Cannarum 82. ).

§. 135. Monasteria juxta præscri- *Gaudent*  
ptam formam ædificata, haud dubie *privilegiis*  
fiunt *Loca Religiosa*, utpote autori- *Ecclesi-*  
tate Ecclesiastica Divino Cultui ac *rum.*  
piis usibus destinata: quod, ut supra  
notavimus, non solum intelligitur  
de interiore ædificio, continente  
cellas Religiosorum, id est, *loca se-*  
*creta & solitaria*, quæ ab hominum se-  
*parata convictu sunt, ad contemplandum*  
*& DEO vacandum specialiter deputa-*  
*ta 83. )*: sed etiam de toto ambitu  
continente ædificia & officinas ad  
usum Monasterii a sæcularibus habi-  
tatas. Consequenter tota hæc area  
gaudet omnibus privilegiis & Immu-  
nitatibus, quas sacri Canones & Le-  
ges Civiles Locis Sacris & Religiosis  
concedunt, cum Claustra & alia Lo-  
ca Religiosa Ecclesiis quoad favora-  
bilia æquiparentur 84. ). Intra hæc  
igitur septa Jurisdictionem ordina-  
L riam

---

82. ) Tale Privilegium Patribus Societatis  
JESU concessit PIUS IV. Const. *etsi ex*  
*debito*. ann. 1561. & GREGORIUS XIII.  
Const. *Salvatoris*. ann. 1576.

83. ) C. 4. de V. S. in 6.

84. ) C. 2. de Consuetud.



riam habent Monasteria , seu eorum Prælati & Abbatissæ 85.) . Monasteria hæc non ultra possunt transferri ad usus Laicorum 86.) , nec etiam Clericorum 87.) ; quamdiu per Regulares remanere potuerint ordinati 88.) . De his Monasteriis debent intelligi , quæ de Ecclesiis passim traduntur , quod non debeat una eademque Ecclesia diverso Jure censeri 89.) : quod delictum Personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debeat 90.) : quod gaudeant Juribus Minorum , & Restitutione in integrum 91.) : & universim omnia Privilegia Ecclesiarum ad Monasteria extenduntur 92.) .

*Strictissima debet*

§. 136. Quamvis ea omnia , quæ septis etiam exterioribus Monasteriis con-

85.) C. 15. 18. de Præscript. c. 13. de Sentent. & Re Judic. c. 12. de Majorit.

86.) Conc. CHALCED. Can. 24. & inde de sumptus C. 4. XIX. q. 3. item c. 40. XVII. q. 7.

87.) C. 25. XVIII. q. 2.

88.) C. 5. de Relig. Domib.

89.) C. 30. de Decimis.

90.) C. 6. de Except. c. 76. de R. J. in l. C. 3. XVI. q. 6.

91.) C. 1. 2. & seqq. de in integr. Restit.

92.) L. 35. C. de Episc. & Cler.



continentur, spirare debeant Religiosam modestiam: nihilominus præcipua semper cura Ecclesiæ fuit, ut firmissimis repagulis custodiatur interioris ædificii *Clausura*, quo nomine intelligimus locum clausum habitationi Regularium deputatum. Severior hæc disciplina nunquam non fuit circa Moniales, quam circa Viros Religiosos, cum sexus ille majoribus periculis sit expositus 93.). Prohibetur autem Monialium egressus ex *Clausura*, & aliorum hominum ingressus. Hujus clausuræ termini sunt muri exteriores, tantæ altitudinis, ut e vicinorum domibus interiora Monasteriorum inspicere non possint, habentes januam, si fieri possit, unicam, vel etiam plures, ferro bene munitas & de die quidem una, de nocte vero duplici clave clausas. Intra clausuram sunt dormitoria, cellæ, officinæ, cubicula, plerumque etiam hortus: quidquid autem est extra hos muros aut januam, uti est Ecclesia exterior, lo-

L 2                      cus

---

93.) Elegantem exhortationem ad Moniales scribit Ivo Carnotensis Episcopus, Epist. 10. jubetque eam singulis hebdomadis semel in Conventu legi.



cus colloquio cum externis destina-  
tus &c. quæ loca patere solent sa-  
cularibus, extra clausuram censer-  
debent, etiam pro tempore, quæ  
clausa sunt. 94.)

*Tam quoad  
egressum  
earum,*

§. 137. Egressus quidem Monia-  
lium ex Constitutione BONIFACII  
VIII. 95.) non permittitur, nisi forte  
tanto & tali morbo evidenter earum ali-  
quam laborare constaret, quod non possent  
cum aliis absque gravi periculo seu scanda-  
lo commorari. Concilium TRIDEN-  
TINUM 96.) permittit egressum ex  
legitima causa ab Episcopo approbandam.  
S. PIUS V. 97.) determinat causam  
magni incendii 98.) vel infirmitatis le-  
pre, aut epidimie. Sicut autem in  
tali casu egressus non permittitur,  
si incendium absque egressu Monia-  
lium extingui, vel leprosa in separa-  
to Monasterii loco absque periculo  
infe-

94.) GREGORIUS XIII. Const. DEO Sa-  
cris. §. 6. ann. 1572.

95.) C. un. pr. de stat. Regular. in 6.

96.) Sess. XXV. c. 5. de Regular.

97.) Const. *Decori.* ann. 1570. qua declara-  
tur Const. *Circa pastoralis.* ann. 1566.

98.) Sperandum non semper est, ut insigni  
miraculo, quale narrat PETRUS Cluniacensis  
lib. I. de miracul. c. 22. ignis fugiat a  
Monialibus, si ipsæ nolint fugere ab igne.



Infectionis aliarum curari possit: sic etiam ex paritate rationis egredi Moniales permittuntur ob omne periculum impendens, quod communem cohabitationem reddit moraliter impossibilem, qualis est inundatio aquarum, imminens ruina ædificii, incursus hostium, maxime hæreticorum & infidelium: item gravis violentia externa, & necessitas defendendi vitam aut pudicitiam. Si Monialis eligatur Abbatisa alterius Monasterii, vel Novitiarum Magistra: si opus sit, ut reformet aliud Monasterium, vel pro suo reformando disciplinam Ordinis alibi discat; conceditur egressus, cum ex alio ejusdem Ordinis Monasterio eligi Præpositam permittat TRIDENTINUM 99.). Idem permittitur, si Abbatisa ex pacto infeudationis sibi factæ a Principe seu Domino temporali, teneatur ad præstandum personaliter juramentum Fidelitatis 100.): item si paupertas cogat, ut quædam Conversæ conquirant eleemosynas 1.).

L 3

§. 138.

99.) Loc. cit. c. 7.

100.) Cit. c. un. §. verum.

1.) Pro hoc casu multa disponit GREGORIUS XIII. cit. Const. *DEO Sacris*.



*Ex justis  
causis*

§. 138. Controvertunt Doctores an ad egressum sufficiat causa privatam Monialis personam respiciens, e. g. morbus non quidem Contagiosus, sed tamen periculosus, vel saltem perpetuo duraturus, a quo Monialis iudicio Medicorum intra clausuram, forte absque usu thermarum, non liberabitur 2.). BENE-DICTUS XIV. hanc causam non videtur approbare 3.): Episcopi Germaniæ non infrequenter concedunt egressum ex huiusmodi causa.

*Ab Episcopo  
approbatis:* §. 139. Causa egrediendi ab Episcopo cognosci & approbari, ac licentia

2.) Egressum pro tali casu negat GUTIERREZ. Canon. Quæst. lib. I. c. 14. n. 7. feqq. EMAN. RODERICUS Quæst. Regul. tom. I. q. 49. art. 3. THOM. SANCHEZ lib. 6. Moral. c. 15. n. 39. PASSERINUS ad Cap. Periculoso. de Stat. Regul. in 6. n. 57. feqq. Egressum permittit NAVARRUS de Regular. Comment. 4. in C. fratruimus. n. 49. ASCAN. TAMBURIN de Jure Abbatissar. Disput. 20. quæst. 3. REIFENSTUEL ad tit. de Stat. Monach. & Regul. n. 33.

3.) Bullar. tom. I. Const. 21. ubi Moniales Portugalliæ extra claustra, quacunq; infirmitatis causa, quacunq; autoritate & indulto commorantes, ad Monasteria redire jubet,



licentia in scriptis dari debet ab eodem, si res moram patiatur. In Monasteriis Pralato Religioso subiectis requiritur licentia Episcopi & Superioris Regularis simul 4.). Egre-  
dientes autem sine justa causa ex-  
communicantur, uti & dantes licen-  
tiam, comitantes, recipientes: pri-  
vantur etiam dignitatibus, officiis &c.

§. 140. Ingressus in Monasteria <sup>quam</sup>  
Monialium non solum ex mente an- <sup>quoad</sup>  
tiquorum Conciliorum prohibetur <sup>ingressum</sup>  
viris 5.), sed etiam mulieribus, <sup>nisi mulierum,</sup>  
*rationabilis & manifesta causa existat, ac*  
*de illius, ad quem pertinuerit, speciali li-*  
*centia 6.). Ingressus intra septa Mona-*  
*sterii nemini liceat, cujuscunque generis*  
*aut conditionis, sexus vel etatis fuerit,*  
*sine Episcopi vel Superioris licentia, in*  
*scriptis obtenta, sub excommunicationis*  
L 4                      pœna,

---

4.) Desumitur hoc ex cit. Const. *Decoris*  
§. 2. Quid incumbat Episcopo circa Mo-  
nasteria Monialium Regularibus subiecta,  
breviter colligit BENEDICTUS XIV. Inst.  
Eccles. 29.

5.) Concil. MATISCON. I. ann. 581. c. 2.  
HISPAL. II. ann. 619. c. II. CABILON.  
II. ann. 813. c. 63. item c. 21. seq.  
XVIII. q. 2.

6.) C. un. de Stat. Reg. in 6.



*pœna, ipso facto incurrenda* 7.) : quæ prohibitionem videtur etiam comprehendendi ingressus infantium, ut propterea peccent, qui illos admittunt 8.). Finis severæ prohibitionis est, ne pax Monialium turbetur, nec præbeantur incitamenta ad peccandum: ob periculum autem universale viget prohibitio, etsi periculum in casu particulari cesset.

*Aut viro-  
rum.*

§. 141. Licentiam ingrediendi dat Episcopus in Monasteriis sibi subiectis potestate Ordinaria: in illis quæ immediate Sedi Apostolicæ subiecta sunt, utitur Episcopus autoritate Delegata: pro Monasteriis, quæ subduntur Regularibus, etiam requirit consensum Episcopi, S. Congregatio Concilii sæpius declarasse dicitur: communior usus hanc facultatem solis Prælati Regularibus concedit. Pro casibus frequenter occurrentibus dele-

7.) Conc. TRID. Sess. XXV. c. 5. de Regular.

8.) Sic statuerat Bononiæ PROSPER LAMBERTINUS, dein Summus Pontifex Infit. Eccl. 29. edit. lat. Rom. pag. 140. Peccatum etiam agnoscit PONTAS Dictionar. Caf. Consc. tom. 2. V. Monasterium Caf. 9. n. 1.



delegatur hæc potestas Abbatiffæ vel Confessario. Causa autem legitima concedendi licentiam ingrediendi, est necessitas: ad hanc requiritur I. ut opus sit necessarium. II. Ut illud non possit fieri per Moniales. III. Ut per alium fieri non possit extra Monasterium. Sic ex causa spirituali datur necessitas ministrandi Sacramenta infirmis: ex necessitate corporali ingredi possunt Medici, Chirurghi, Architecti, Fabri, Artifices &c. Superiores, & Episcopi quidem etiam in Monasteria Regularibus subjecta, ingredi possunt causa visitandi Clausuram; vel ex alia necessitate, ex qua ipsi concedere possunt licentiam ingrediendi 9.). Singulari Constitutione Episcopo ingressus conceditur ad impertendam Benedictionem Apostolicam & Indulgentias plenarias moribunda 10.). Permittuntur etiam in-

L 5 gredi

9.) ALEXANDER VII. Const. *felici* 156. concedit Prælato Regulari semel duntaxat in anno occasione visitationis ingredi: si necessitas urgeat sæpius ingrediendi, id fiat cum præsentia Episcopi, aut deputati ab Episcopo.

10.) BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 2. Const. 34. pag. 283.



gredi puellæ, majores septennio, minores viginti quinque annis, honeste educandæ, quando Institutum Monialium non repugnat, Monasterium alioqui tales recipere consuevit: admittuntur alicubi etiam famulæ sæculares II.). Alias licentias ingrediendi, quacunque auctoritate obtentas revocarunt plures Pontifices 12.), ingressum sub prætextu talis licentiæ prohibentes sub pœna excommunicationis Sedi Apo-

stoli-

II.) Circa has severum Decretum misit BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 2. Const. 26. ad Episcopos Portugalliæ, voluitque, ut prævium examen super moribus, fama, habilitate & necessitate ipsarum educandarum puellarum vel famularum per Antistites locorum Ordinarios tantummodo habeatur, & admissio a Sede Apostolica impetretur.

12.) GREGORIUS XIII. Const. *Ubi gratia*. 28. PAULUS V. Const. *Monialium*. 10. Julii anni 1612. BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 1. Const. 40. qui eod. tom. Const. 95. §. 37. 38. permittit ut major Pœnitentiarius in casu occulto violatæ clausuræ Monialibus Confessarium cum opportunis facultatibus concedat. In casibus vero publicis delinquentes non absolvat, nisi pro ipsis Ordinarii supplicaverint, & casus ad S. Congregationem deducti non fuerint.



Stolicæ reservatæ: voluntque potestatem concedendi licentiam competere duntaxat locorum Ordinariis iisque omnibus Superioribus, quibus tanquam Ordinariis, & Ordinaria Jurisdictione utentibus Monialium Monasteria subiecta & addicta sunt, in casibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis.

§. 142. In Germania nostra Fun-Laxior dis-  
datores, Protectores, & Principes disciplina in  
Imperii, non credunt se his legibus Germania.  
omnino stricte obligari; nec Episcopi  
difficiles sunt in illis admittendis  
cum decenti comitatu. Similiter  
Abbatissæ aut Præfectæ Monasterio-  
rum non adeo difficiles in his regio-  
nibus sunt in permittendo alloquio  
suarum Monialium, licet Constitu-  
tiones Pontificiæ ferme eadem seve-  
ritate prohibeant accessum, qua pro-  
hibent ingressum, ad alloquendum  
Moniales sine causa & licentiâ legi-  
tima, ab eo accepta, qui potest da-  
re licentiam ingrediendi.

§. 143. Ingressus fæminarum in Prohibetur  
Virorum Monasteria, vel vi Statu-quoque in-  
torum, vel ratione publicæ hone-gressus fæ-  
statis & decentiæ interdictus est 13.) : minarum  
om-

13.) C. pervenit. 20. XVIII. q. 2. Prus V.  
Const.



*in Virorum* omnia autem Privilegia & Licentia  
*Monaste-* circa hunc ingressum revocarunt plu-  
*ria.* res Pontifices 14.) , supponentes  
 jam a Prædecessoribus suis etiam sub  
 pœna excommunicationis latæ sen-  
 tentiæ, fæminis quibuscunque ad-  
 tum ingressumque intra Religioso-  
 rum Virorum clausuram interdictum  
 fuisse. Multi tamen Doctores non  
 reperiunt Censuras latas, nisi in fæ-  
 minas ingredientes sub prætextu di-  
 ctarum licentiarum. BENEDI-  
 CTUS XIV. revocando omnes fa-  
 cultates, non intendit derogare in  
 concessionibus, quæ nobilibus fæ-  
 minis de familia Fundatorum, aut  
 Dominorum territorialium, per Li-  
 teras Apostolicas factæ fuerunt. In  
 nostra tamen Germania fæminæ ex  
 fami-

---

Const. *Regularium personarum*. 20. ann.  
 1566. & ejusd. Declarat. *Decet*. anno 1570.  
 omnino singulare olim fuit, quod Sanctæ  
 LIOBÆ concessus fuerit ingressus in Ful-  
 dense Monasterium, prout narratur in vi-  
 ta apud SURIUM ad diem 28. Septemb.  
 14.) GREGORIUS XIII. loc. cit. BENE-  
 DICTUS XIV. tom. I. Const. 39. ubi mo-  
 rem, quo fæminæ in aliquibus Monaste-  
 riis virorum admittuntur ad certas Pro-  
 ceSSIONES, vel sacra solemnia, tanquam  
 abusum damnat.



familia Principum Imperii passim utuntur hoc favore absque Literis Apostolicis. Porro sub nomine Monasterii veniunt etiam horti conjuncti Monasterio, in quibus Religiosi deambulantes, non censentur esse extra Clausuram. Quoad egressum autem Religiosorum, potest Prælatus designare Clausuræ terminos, extra quos Religiosi non possint sine licentia exire.

§. 144. De Clausura Monasteriorum fuse agunt, & minutissimos casus examinant THOMAS SANCHEZ Oper. Moral. Lib. 6. c. 15. seqq. EMAN. RODERICUS Quæst. Regul. Tom. 1. Quæst. 44-50. THOMAS DELBÈNE de Immunit. Eccl. p. 2. c. 19. dub. 25. seqq. PASSERINUS ad C. periculoso. de Stat. Regular. in 6. ASCANIUS TAMBURINUS de Jure Abbatissarum disp. 18. & seqq. MIRANDA Manual. Prælat. Regular. Tom. 1. quæst. 32. item de Monialib. quæst. 1. & seqq. HYACINTH. DONATUS Prax. Regular. Tract. 3. & 4. REIFENSTUEL aliique ad Tit. de Statu Monachor. & Regular. EMAN. GONZALEZ ad c. 8. de Vit. & honest. Cler. VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 1. tit. 30. c. 2. seqq. TIT-

Scriptores.



TITULUS X.  
DE ACADEMIIS.

Conf. Decretal. lib. 5. tit. 5. E  
Clement. Tit. 1.

§. 145.

*Inter Loca  
pia sunt*

**I**NTER *Loca Pia*, quæ maxime Cul-  
tum Divinum promovent, pre-  
mium locum damus Academiis, ubi  
omnigena scientia imbuuntur tam  
Clerici, quam Laici. Ut utriusque  
huic hominum Classi Literæ tradan-  
tur, vera Pietas & Religionis amor  
suadet. Licet enim *Ignorantia ma-  
ter cunctorum errorum, maxime in Sa-  
cerdotibus Dei vitanda sit, qui docendi  
Officium in populis susceperunt* 15.) ni-  
hilominus pessime Consultum est  
Reipublicæ, in qua per Laicorum  
ignorantiam Justitia corrumpitur,  
Religio in superstitionem transit, Re-  
giminis pòlitia in tyrannidem dege-  
nerat.

*Academia*

§. 146. Huic malo remedium fe-  
runt Academia 16.), seu studiorum  
Uni-

15.) C. 1. dist. 38. ex Concil. TOLET. IV.  
16.) *Academia* nomen habet a loco neme-  
rabo



Universitates 17. ). Scholas etiam publicas jam vidit primæva Ecclesia, Templis contiguas, vel saltem in ædibus ad Tempia pertinentibus erectas 18. ): non tantum sacris Dogmatibus explicandis, iisque tum adversus Gentiles, tum adversus Hæreticos vindicandis; sed etiam politioribus Literis tradendis destinatas. In his nomen singulare obtinuit Schola Catechetica Alexandria, præcipue pro instruendis Catechumenis &

---

roso extra urbem Atheniensem sito, pertinente ad *Hecademum*, seu **ACADEMUM**, Civem Atheniensem, ubi **PLATO** docebat. Vid. **DIOG. LAERT.** de Vitis Philosoph. lib. 3. **PAUSANIAS** in Atticis. *Academi* meminit **PLUTARCHUS** in Theseo. Unde postea tum alia loca, in quibus scientiæ traduntur, tum Societates Eruditorum *Academia* nomen sortitæ sunt. Videri meretur Lexicon Trivult. V. *Academie*.

17. ) Nomen hoc datur Scholis, in quibus *universæ* scientiæ, saltem pro Republica tam sæculari, quam Ecclesiastica magis necessariæ, traduntur, quas alioqui in diversis locis conquirere oporteret.

18. ) **SOCRATES** Hist. Eccl. l. III. c. I. dicit, Julianum Apostatam Constantinopoli liberalibus disciplinis fuisse institutum in *Basilica*, ubi tunc Scholæ fuerunt.



& Clericis erecta, quæ S. MAR-  
CUM, Fundatorem 19.) : sæculi  
II. & III. autem Rectores habuit  
ATHENAGORAM, PANTÆNUM  
Indiarum Apostolum, CLEMEN-  
TEM *Alexandrinum*, ORIGENEM  
aliosque Viros in omni Literaturæ  
præstantissimos 20.) ; a RHODO-  
NE postea, qui Didymo Cæco in-  
regenda hac Schola successerat, tem-  
pore THEODOSII M. in Siden Pam-  
philiæ Urbem translata 21.). Non  
minore Fama claruit Schola *Cæsari-*  
*ensis*, ubi idem ORIGENES 22.)  
cum Philosophia aliisque profanis  
disciplinis, multorum animos suis  
erroribus imbuebat : *Ediffena*, ubi  
Eusebius Emiffenus Sacris & politico-  
ribus

- 
- 19.) S. HIERONYMUS de Vir. Illustr. de  
Pantæno scribens, testatur, Alexan-  
drinæ a MARCO Evangelista semper Ec-  
clesiasticos fuisse Doctores.  
20.) EUSEBIUS Hist. Eccl. l. V. c. 10. Add.  
WALCHIUS Miscell. sacr. lib. III. Exerc.  
2. c. 1. sect. I. §. 5. & 6.  
21.) Aut potius alia ad imitationem Scholæ  
Alexandrinæ erecta, ut observat CA-  
VE Hist. Lit. in Athenagora. ad ann. 177  
& in Philippo ad annum 418.  
22.) EUSEBIUS l. 6. c. 13. P. DOUCIN His-  
toire de l'Origenisme lib. I. & 2,



ribus Literis, Operam dedit 23.):  
aliæque plures.

§. 147. Non tantum Romæ 24.), Variis in  
& in celebrioribus Civitatibus; sed locis aper-  
in aliis quoque locis per Italiam, tæ,  
passim Parochialibus Ecclesiis præ-  
positi, juniores Clericos ad compe-  
tentem eruditionem instruebant,  
quos imitari conabantur Galli 25.):  
hos autem Angli 26.). Post irruptio-

M nem

---

23.) SOZOMENUS lib. III. c. 5.

24.) Quod Romæ, præsertim sub GREGO-  
RIO M. omnes scientiæ floruerint, vide-  
re licet apud JOANNEM Diaconum in vi-  
ta Gregorii l. 2. c. 12. 13.

25.) Concilium VASENSE II. ann. 529. Can.  
I. statuit, ut omnes Presbyteri, qui sunt  
in Parochiis constituti, secundum consue-  
tudinem, quam per totam Italiam satis sa-  
lubriter teneri cognovimus, juniores Lecto-  
res secum in domo, ubi ipsi habitare viden-  
tur, recipiant: Et eos quomodo boni patres,  
spiritualiter nutriendos, in lege Domini  
erudire contendant. RICULFUS Episco-  
pus Sueffionensis ann. 889. Constit. c. 16.  
addit, ut Presbyteri puellas ad discendum  
cum Scholariis suis in schola sua nequaquam  
recipiant.

26.) De SIGEBERTO Rege, qui in Gallia  
Baptismum suscepit, scribit BEDA lib. 3.  
Hist. c. 18. quod in patriam regressus, ubi  
regno potitus est, mox ea, quæ in Gallis  
bene



nem barbararum Gentium a Sæculo VI. Scholis fere ad Ecclesias Cathedralis & Monasteria restrictis 27.) apud solos Ecclesiasticos & Monachos aliquid literaturæ reperiebatur: Deo tamen semper Ecclesiam suam conservante, non tam per eruditionem Pastorum, quam per fidelem observantiam antiquarum Traditionum 28.). Certe etiam CASSIODORUS propter bella ferventia, & turbulenta nimis in Italico regno certamina cum AGAPITO Pontifice non potuit implere desiderium suum erigendi in Romana Urbe publicas Scholas pro tradendis Sacris Literis 29.).

§. 148.

*bene disposita vidit, imitari cupiens, instituerit scholam, in qua pueri literis erudirentur.*

- 27.) Quid hac in re præstiterint Monasteria S. Benedicti, per quatuor Tomos recensetur in *Historia Rei Literariæ Ord. S. Benedicti*, recens edita.
- 28.) AGATHO Romanus Pontifex sæculo VII. in Epistola ad Constantinum Pogonatum data, & in Concilio Oecumenico VI. Act. 4. recitata, id candide fatetur.
- 29.) CASSIODORUS in Præfatione Divinarum Lectionum.



§. 148. Sacras autem Literas abs- *Præsertim*  
 que subsidio Literarum humanio- *a Carolo*  
 rum satis excoli non posse, optime *i. l.*  
 sentiebat CAROLUS M. Imperator,  
 insignis scientiarum fautor & instau-  
 rator. Unde cum ex variis Mona-  
 steriis & Ecclesiis epistolas acciperet,  
 quibus Sacra & Preces ipsi offere-  
 bantur, *inculto sermone* scriptas, en-  
 cyclicas dedit literas ad Episcopos &  
 Abbates, quibus Scholarum erectio-  
 nem & curam in Ecclesiis Cathedra-  
 libus & Monasteriis vehementer com-  
 mendabat 30. ): & indefessa opera  
 in aliis etiam locis promovebat,  
 præcipue cum post tertium iter Ro-  
 manum Anno Christi 787. plures  
 Grammaticos secum in Gallias ad-  
 M 2 duxif-

30.) Exemplar harum literarum ad BAU-  
 GULFUM Abbatem Fuldensem, datum  
 habetur in Collect. Concil. Harduini tom.  
 3. col. 2024. &c. ibi: *quod pia devotio in-  
 terius fideliter dictabat, hoc exterius, propter  
 negligentiam discendi, lingua inerudita ex-  
 primere sine reprehensione non valebat. Un-  
 de factum est, ut timere inciperemus, ne  
 forte, sicut minor erat in scribendo pruden-  
 tia, ita quoque & multo minor esset, quam  
 recte esse debisset, in sanctarum scriptura-  
 rum ad intelligendum sapientia &c. &c.*



duxisset 31. ), annitentibus etiam Zelosis Episcopis 32. ). Imo non solum publicas Scholas & studiorum Universitates variis in locis erigeri conabatur 33. ): sed etiam in Aula Regia, Eruditorum Scholam, seu Academiam fovebat 34. ).

§. 149.

31. ) Vid. Conc. CABILONENSE ann. 829. c. 3. PARISENSE ann. 829. lib. III. c. 12.
32. ) Lectu digni sunt duo Articuli, scilicet 19. & 20. ex Capitulari THEODULFI Episcopi Aurelianensis ad Parochos, apud Harduin. Conc. tom. 4. col. 916. ad ann. 797. qui Articuli cum aliis septem, in quibusdam Editionibus Conciliorum falso describuntur Patribus Synodi Trullane.
33. ) De his agit LAUNOJUS in libro *de scriptis celebrioribus*. Operum tom. 4. vol. 1. CONRINGIUS De Antiquitatibus Academicis Dissert. I. Operum tom. 5. MIDDEXDORPIUS aliique.
34. ) P. DANIEL Hist. Franc. ad ann. 789. suspicatur, a Carolo institutam Societatem, seu Academiam Eruditorum, quod nomen assumpsissent antiqui cujusdam Auctoris, aut Herois, sibi præprimis celsitati, ita ut ALCUINUS *Flaccum*, quod agnomen est Horatii; ANGILBERTUS *Hemerum*; ADELARDUS Abbas Corbejensis *Augustinum*; RICULFUS Episcopus Moguntinus *Damatam*; ipse Rex *Dardem* se nominaret, prout hodie Societas Arcadum & Naturæ Curiosorum suis membris



§. 149. Carolum imitati sunt varii & aliis:  
alii Imperatores & Reges, præcipue  
in Germania OTTONES & FRI-  
DERICI, sub quibus Scholæ publi-  
cæ diversa fata & vicissitudines sub-  
ierunt, promoventibus & Privilegia  
amplissima concedentibus Romanis  
Pontificibus & Conciliis 35. ), adeo  
ut Concilium Ravennatense quibus-  
libet diebus Mercurii vel Jovis spe-

M 3

cia-

membris varia nomina imponit. Hanc  
conjecturam, quam P. DANIEL ex Epi-  
stolis Alcuini, ubi ista nomina dictis viris  
passim tribuuntur, desumpsit, improbat  
recens Editor Operum LAUNOII in *Præ-  
fat. ad Tom. 4. vol. I.* Turpius erravit  
ipse LAUNOIIUS, dum loc. cit. c. 5. Epi-  
stolam Alcuini *Davidi Regi* inscriptam,  
putat datam esse *ad Davidem Angliæ Re-  
gem*; cum Alcuinus aperte plurimis in lo-  
cis CAROLUM nomine *Davidis* insigniat.  
35.) Consulantur Autores, qui historiam  
Universitatum conscripserunt. Conci-  
lium CONSTANTIENSE Sess. 8. damnavit  
Wicleffi errorem 29. *Universitates,  
Studia, Collegia, Graduationes, & Ma-  
gisteria in eisdem, sunt vana gentilitate in-  
troducenda, & tantum profunt Ecclesie, si-  
cut diabolus.* Econtra quando de tollen-  
dis Exemptionibus actum fuit, præser-  
vatæ fuerunt Exemptiones, Universita-  
tibus studiorum concessæ. Vid. VON DER  
HARDT Conc. Const. tom. I. part. 10. c. 20.  
pag. 620. & tom. 4. col. 1536.



cialem Collectam in Missa pro studentibus dici præceperit 36.). Utrum tamen singularum Facultatum, quæ hodie in Academiis florent, Professores in eodem loco publice Scholæ aperirent, ante sæculum decimum quartum vix reperiemus: nam olim nec Bononiæ Theologia, nec Parisiæ Juris Romani Prudentia publice tradebatur, quæ tamen ambæ Scholæ primatum in Occidente obtinebant.

*Demum insigniter restaurata.*

§. 150. Postquam autem scientiarum splendor rursus in Occidente vix non penitus extinctus fuisset, nova lumina submisit Oriens, præsertim capta a Saracenis Constantinopoli, ubi eruditionis & literarum studium sub MICHAELE Porphyrogenneta, cura & sollicitudine BARBARÆ Cæsaris Sæculo IX. restauratum 37.), eo usque perduraverat 38.)

Hoc

36.) Conc. RAVENNAT. ann. 1314. c. 13. Collecta autem præscribitur vel de Spiritu Sancto, vel *DEUS qui per coacturam* &c. desumpta ex Missa votiva de Sapientia, quæ in antiquis Missalibus assignatur pro Feria secunda.

37.) De hac instauratione legi potest THEOPHILUS MASSINUS vet. & nov. Ecel. Discipl. p. 2. l. I. c. 100. n. 4. CONRING. tom. 5. De Antiq. Acad. Differt. I. pag. 418.

38.) ÆNEAS SYLVIUS Piccolominus, p.



Hoc ab exulibus Græcis in nostris regionibus excitatum, adeo dociles animos reperit, ut plurimæ tum in aliis Provinciis, tum præcipue in nostra Germania Academia, & veræ studiorum Universitates, ferme a singulis Imperii Germanici Principibus fuerint excitatæ. Inter has magnum nomen obtinuit Academia INGOLSTADIENSIS, circa medium Sæculi decimi quinti a LUDOVICO Divite Bavarix Duce fundata, & a PIO H. Pontifice ad laudem Divini nominis & Catholica Fidei propagationem ann. 1459. confirmata, adeo strenue expectationem Pontificis in propugnanda Catholica fide implevit, ut implacabile Martini Lutheri odium incurrerit, millenis convitiis ab eodem proscissa 39.)

M 4 §. 151.

---

stea Pius II. Pontifex, Epist. 155. ad Episc. Brixienf. scribit: *Mansit usque in hunc diem vetusta sapientia apud Constantinopolim monumentum, ac velut ibi domicilium literarum esset, nemo Latinorum satis videri doctus poterat, nisi per tempus Constantinopoli studuisset &c.*

39.) Occasionem & causam genuinam hujus odii detegit JACOBUS GRETSERUS in Oratione inaugurali habita 14. Novembr. 1606.



*Statuta Canonum pro Academiis.* §. 151. Verum historia Academia-  
rum aliis relicta, paucis annotamus, quid varii Canones de publicis  
studiis statuerint.

I. Nemo qui sit *idoneus*, a docendo impediatur, quoniam cum donum Dei sit scientia Literarum, liberum debet esse cuique, talentum gratis contulerit erogare 40.), scilicet cum consensu Principis & Episcopi *Idonei* dicuntur, qui sunt *fideliter & veraciter intelligentes* 41.).

II. Statuit Sancta Synodus TRIDENTINA, *neminem ad Sacra Scripturae Lectionis officium tam publicam quam privatim admittendum esse, quam prius ab Episcopo loci de vita, moribus & scientia examinatus & approbatus fuerit* 42.).

III. Singulorum Professorum vita diligenter est inquirenda: ne forte ii sint, qui pravo morum, vitæque exemplo plus officere, quam doctrinæ raritate prodesse possint 43.).

IV.

40.) ALEXANDER III. apud Harduin. Concil. tom. 6. p. 2. col. 1459.

41.) Synodus LINGONENSIS ann. 859  
can. 10.

42.) Sess. V. c. 1. de Reform.

43.) Concil. TOLOSAN. ann. 1590.



IV. „Omnes ii, ad quos Univer-  
sitatum & Studiorum generalium  
cura, visitatio & reformatio perti-  
net, diligenter curent, ut ab eis-  
dem Universitatibus Canones &  
Decreta Sanctæ Tridentinæ Syno-  
di integre recipiantur, ad eorum-  
que normam Magistri, Doctores,  
& alii in eisdem Universitatibus ea,  
quæ Catholicæ Fidei sunt, doceant,  
& interpretentur; seque ad hoc in-  
stitutum initio cujuslibet anni so-  
lemni juramento obstringant: sed  
& si aliqua alia in prædictis Uni-  
versitatibus correctione & refor-  
matione digna fuerint, ab eisdem,  
ad quos spectat, pro Religionis &  
Disciplinæ Ecclesiasticæ augmento  
emendentur, & statuatur. „ 44.).

V. Pro concedenda licentia do-  
cendi nihil exigatur 45.).

VI. In Ecclesiis Cathedralibus Ma-  
gistro, qui Clericos ejusdem Eccle-

M 5                      fia

---

44.) Conc. TRID. Sess. XXV. c. 2. de  
Reform.

45.) C. 3. de Magistris &c. ex Conc. LA-  
TERAN. III. ann. 1179. c. 18. Excepit  
tamen ALEXANDER III. Magistrum PE-  
TRUM Cancellarium Parisiensem apud  
Harduin. t. 6. p. 2. col. 1478.



fiæ & Scholares pauperes gratis  
 ceat, competens aliquod Benefici  
 assignetur, quo docentis necess  
 sublevetur, & discipulis via par  
 ad doctrinam 46.). Aliis Profes  
 ribus, qui præbendam non habent  
 salaria congrua sunt assignanda.

VII. Canonici vel Præbendati,  
 ab Episcopis ad Theologiam lega  
 dam, vel discendam destinantur,  
 centes quidem toto tempore, dum  
 in Scholis docuerint; studentes au  
 tem in ipsa per quinque annos im  
 gre percipiant in absentia provent  
 præbendarum & beneficiorum su  
 rum 47.).

VIII. Libri boni & utiles præbe  
 gantur: prohibentur autem Libri  
 Hæreticorum, qui de Religione  
 professo tractant, libri lascivi &c. 48.).

IX.

46.) Idem Concil. LATERAN. relatum  
 C. 4. de Magistris &c. EMAN. GONZ.  
 LEZ ibid. Hanc Constitutionem circa Ec  
 clesias Cathedrales & Collegiatas fuisse  
 declarat Conc. TRID. Sess. V. c. 1. de  
 Reform.

47.) C. fin. de Magistr. Conc. TRID. lo  
 cit.

48.) Decret. de Libris prohib. reg. 2. &c.  
 Libros emendatos, scilicet non tam  
 em



IX. Etiam Principes sæculares solliciti sint, ut sacræ scientiæ cum profanis Literis rite tradantur 49.).

X. Promovendi in Academiis ad Gradus Literarios, vel ad Licentiam docendi, publicam & solemnem Catholicæ Fidei Professionem ex Formula Tridentina edere, & Juramento confirmare tenentur 50.).

XI. Qui in quavis scientia ad Doctoratus vel Magisterii assumuntur honorem, juramento prius adstringantur, ne ultra tria millia Turonensium argenteorum in solemnitate, circa hujusmodi

Do-

---

erroribus Amanuensium, quam a perversa doctrina, requirunt Capitula HERARDI Archiepiscopi Turonensis ann. 858. c. 17. apud Harduin. tom. 5. col. 451.

49.) *Coërceantur & exercentur in Scholis pueri ad dilectionem sacræ scientiæ: ut per hoc bene eruditi inveniri possint ad omnimodam Ecclesiæ DEI utilitatem: nec sint Rectores terrene tam avidi operationis, ut domus DEI desolatione spiritalis ornaturæ vilescat.* Synod. CUTHBERTI Archiep. in Anglia ann. 747. Can. 7. apud Harduin. tom. 3. col. 1954.

50.) Pius IV. Const. in Sacrosancta. ann. 1564. Vid. Præcogn. Jur. Canon. tit. 6. §. 66. seqq.



*Doctoratum aut Magisterium quomodo  
bet adhibenda, expendant § 1. ).*

Alia ex singularum Academicarum  
propriis Statutis haurienda sunt. Mi-  
ta suppeditat JACOBUS MIDDEN-  
DORPIUS de Academiis. Item  
Officiis Scholasticis. ANDREA  
MENDO de Jure Academico.

## TITULUS XI.

## DE SEMINARIIS CLERICORUM

§. 152.

*Seminaria* **E**x iis, quæ superiori Titulo alle-  
ta sunt, facile concludimus, fun-  
damenta Scholarum publicarum ja-  
cta esse ab Episcopis; & Literarum  
profanarum Studia, destinata olim  
fuisse ad profectum in Sacris scienti-  
tiis,

51.) Clement. 2. de Magistris &c. Valo-  
rem 3000. Turonensium argenteorum, si  
cum nostra moneta conferatur, curiose  
indagat JACOBUS GRETSERUS Præfat. in  
Disputationem Vespertinam, pridie Inaugu-  
rationis Doctoralis ann. 1606. crediti-  
que juxta maximam Turonensium ad  
nostras monetas collatorum æstimatio-  
nem, præscriptam summam ascendere ad  
quadringentos sexdecim florenos nostros  
Rhenanos.



*De Seminariis Clericorum.* 189

tiis, & ornamentum Ecclesiæ: unde etiam Academia, tanquam Seminarium Clericorum, potissimum ditata erant Privilegiis Pontificiis, & Immunitate Clericali gaudebant; cum non solum totum Corpus jura Clericalis Communitatis sibi sumeret, sed etiam singuli Scholares multis in locis passim nomine Clericorum venirent 52.). Adjunctis dein Juris profani, Medicinæ & similium Artium Facultatibus, magna quidem Episcoporum autoritas ibidem permansit, ita ut Academici Gradus non absque eorum annutu dispensentur: nihilominus ut verum fateamur, feliciora fuerunt incrementa Studiorum, quam pietatis & Clericalis disciplinæ. Hinc Concilium TRIDENTINUM, ut æquis passibus Literarum stadia pietas sequeretur, *Seminaria* in singulis Episcopatibus pro Clericis restitui voluit.

§. 153. Nomine Seminarii hic intelligimus locum Ecclesiastica autorum: rita-

---

52.) Unde in Academia Ingolstadiensi Dignitas Rectoris olim non nisi Clericis deferrebat: ne scilicet Laicus videretur Jurisdictionem exercere in Communitatem Clericalem.



ritate constitutum, ad illos sub disciplina vitæ communis educandos, animum præferunt, vel ampli- cendi Statum Clericalem, vel in suscepto ad obeundas functiones Clericales se perficiendi. Finis tur horum Seminariorum est, ut eorum Alumni separati a commercio Sæculi, agnoscant vocationem am; exercentur in omnibus virtutibus Christianis & Clericalibus; sponantur ad Sacros Ordines recipiendos, vel perficiantur in illis jam susceptis.

*Sunt necessaria :*

§. 154. Præviā institutionem munera Pastoralia rite obeunda, omnino esse necessariam, eleganter ostendit S. GREGORIUS M. 53. *Nulla ars, inquit, doceri præsumatur, nisi intentata prius meditatione discatur: ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium, regimen animarum.* Hanc institutionem non ad virilem usque ætatem differri, sed a primæ jam juventute rite formari oportet futuros Ministros summi DEI, & Pastores animarum tantis functionibus



ab illis paret. Nabuchodonosor de for-  
dos, mandis idoneis Ministris aulae suae  
ampliciter sollicitus praecipiebat *Asphenez* Praepo-  
relinesto *Eunuchorum*, ut in Palatii sui Se-  
minarium introduceret de filiis Israel  
in israhel pueros, in quibus nulla esset macula, de-  
coros forma, & eruditos omni sapientia,  
cautos scientia, & doctos disciplina, &  
qui possent stare in Palatio Regis, ut do-  
ceret eos *Literas*, & linguam *Chaldeo-*  
rum. Et constituit eis Rex annonam per  
singulos dies de cibis suis, & de vino,  
unde bibebat ipse, ut enutriti tribus an-  
nis, postea starent in conspectu Regis (4.).  
Nec necesse, nec hujus loci est, ut  
haec ad Seminaria Episcopalia pluri-  
bus verbis transferantur.

§. 155. Pro varia aetate, & habi-  
litate eorum, qui vel ad Clericatum, *Quam for-*  
vel eo suscepto ad Ecclesiastica mu-  
nia aspirant, varia deprehendimus *mam*  
Seminariorum genera. Presbyteri,  
Diaconi & Subdiaconi, quorum nulli  
erat quidquam proprium, sed omni-  
bus

54.) DANIEL. I. 3. seqq. Talia Pædagogia  
passim in Principum aulis erecta videmus.  
Et a Græca voce *παις* derivari existima-  
tur nomen *Pages*, quo vocari solent no-  
biles adolescentes in aulis Principum edu-  
cati.



bus omnia communia, colligebatur olim ad Collegium Clericorum in ædibus S. Augustini erectum, cuius modum & institutum idem S. Episcopus populo Hipponensi dilucide exposuit 55.). Juniorum autem adolescentum curam præcipuam habuit Concilium TOLETANUM (56.): hanc plerisque in locis neglectam restaurare studuit CAROLUS M. aliique summi Viri Sæculi VIII. & IX. adeo ut quæcunque Scholis publicis Ecclesiarum Cathedralium aut Parochialium supra tradidimus, ad Seminaria Clericorum referenda sint. Majorum Ecclesiarum Clericos singulari industria congregavit CRODOGANGUS Metensis Episcopus 57.). Erectis dein publicis Academiis, negligi cœperunt Collegia Episcopalia, plurimumque passa est disciplina Clericorum, aliarum facultatum Scholaribus immixtorum. Deberent quidem Clerici in

Aca-

55.) Serm. 355. & 356. olim de divers. 49 & 50.

56.) Anno 633. Can. 24. relatum apud GRATIANUM c. I. XII. q. I.

57.) De Regula CRODOGANGI dictum est Hierarch. Eccl. tit. 28. §. 325.



*De Seminariis Clericorum.* 193

Academiis versantes idem de se prædicare, quod S. GREGORIUS Nazianzenus 58.) de se & S. Basilio in Atheniensi Academia versantibus dicit: *Pestifera quidem aliis, quod ad animæ salutem attinet, Athenæ sunt: nobis autem nihil detrimenti ab iis allatum est, utpote animo communitis & obseptis.* Cum vero non de omnibus tanta morum constantia speranda sit; malo huic remedium ponere laborabant Patres Concilii TRIDENTINI, dum exactam formam tradunt Seminarii Clericorum in Ecclesiis Cathedralibus erigendi 59.).

§. 156. Statuit igitur S. Synodus *Tradit Synod. I.* ut singulæ Ecclesiæ Cathedrales *nodus Tridentina:* pro modo facultatum, & amplitudine Diœceseos, certum puerorum numerum in Collegio alere & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. II. Recipiantur pueri duodecim ad minimum annorum, & legitimorum natalium, qui legere ac scribere competenter noverint, ac spem præbeant Clericalis vitæ constantiter retinendæ. III. Præcipue  
N eligan-

---

58.) Orat. 20.

59.) Sess. 23. c. 18. de Reform.



eligantur pauperum filii: ditiores non excludantur, suo tamen sumptu alendi. IV. Dividantur Alumnus in plures classes juxta eorum ætatem ac progressum, applicandi demum Ecclesiarum ministerio, aliis mox in eorum locum substitutis. V. Omnes Tonsura atque habitu Clericali utantur. VI. Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam, Sacram Scripturam, Libros Ecclesiasticos, Homilias Sanctorum; Sacramentorum tradendorum, Confessionum audiendarum, Rituum ac ceremoniarum formas ediscant. VII. Singulis diebus Missæ Sacrificio intersint: singulis saltem mensibus confiteantur, & Eucharistiam sumant: Cathedralibus & aliis Ecclesiis, diebus festis intersint. VIII. Omnia ad hanc rem necessaria Episcopus cum Consilio duorum Canonicorum constituet. IX. Discolos & incorrigibiles acriter puniet, vel expellat. X. Pro necessariis sumptibus applicentur imprimis huic Collegio, quæ forte ad instituendos vel alendos pueros sunt destinata: dein ex fructibus integris Mensæ Episcopalis & Capituli, quarumcunque Dignitatum, & Beneficio-



ciorum quorumcunque, etiam Regularium & Exemptorum; item ex quibuscunque aliis Ecclesiasticis proventibus aliorum Collegiorum (in quibus tamen Seminaria discipulorum vel docentium non habentur) & Monasteriorum, non tamen Mendicantium, partem aliquam vel portionem, dotato sufficienter Seminario remittendam detrahent; nec non Beneficia aliquot simplicia huic Collegio incorporabunt. XI. Rationes reddituum Episcopus singulis annis accipiat, presentibus duobus a Capitulo, & totidem a Clero Civitatis deputatis. XII. Qui Scholasticas, non nisi Doctoribus vel Magistris, aut Licentiatis in Sacra Pagina aut in Jure Canonico conferendas, obtinent, vel docendi munus annexum habent, compellendi sunt, ut per seipsum, vel per idoneos substitutos in his Collegiis doceant, quæ videbuntur Episcopo expedire. XIII. Si in singulis Episcopatibus ob paupertatem Ecclesiarum Seminarium erigi non possit, erigatur unum ex facultatibus duarum aut plurium Diocesium. XIV. In amplis Diocesium possunt plura Seminaria haberi, quæ tamen ab illo, quod in



Civitate constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

*Cujus mentem executæ sunt*

§. 157. Per hæc sapientissima Concilii Decreta DEUS idem in Ecclesiæ sua effecisse videtur, quod olim præstitit in mundo recens conditæ per fœcundum suum imperium: *germinet terra herbam virentem, & faciat semem, & lignum pomiferum, cujus semen in semetipso sit super terram* 60.)

Ubique enim surgebant Collegia Clericorum ita sapienter instituta, ut non tantum uberrimos fructus proferrent, sed perpetuæ etiam propaginis fœcunditatem promitterent. In omnibus Synodis Provincialibus, quæ finito Concilio Tridentino fuerunt habitæ, mirum elucet studium, Decreta Tridentina suis Provinciis aptata, in usum deducendi. Lecta & imitatu dignissima sunt quæ hæc de re statuit Concilium Provinciale CAMERACENSE 61.) : SALISBURGENSE 62.) : MEDIOLANENSE V.

60.) Genes. I. II.

61.) Anno 1565.

62.) Ann. 1569. Ibi Constit. 60. decernitur ut Seminaria erigantur Salisburgi, & in quatuor Provinciæ primariis Civitatibus Frisingæ



*De Seminariis Clericorum.* 197

V. 63.) : ROTHOMAGENSE 64.) :  
RHEMENSE, TURONENSE &  
BURDIGALENSE 65.) : AQUEN-  
SE 66.) : TOLOSANUM 67.) :  
MECHLINIENSE 68.) . Item sin-  
gularum Diœcesium Synodi, AU-  
GUSTANA 69.) : PLACENTINA  
70.) : OSNABRUGENSIS 71.) .

N 3 §. 158.

---

Frisingensi, Pataviensi, Ratisbonensi &  
Brixinensi : cæteri Episcopatus, scilicet  
Gurcensis, Chiemensis, Seccoviensis &  
Lavantinus quosdam juvenes suis impen-  
sis alant in Seminario Archiepiscopali  
Salisburgensi.

63.) Constit. part. 3. ann. 1579.

64.) Ann. 1581.

65.) Tria hæc Concilia habita sunt Ann.  
1583. & quidem ad finem Concilii Bur-  
digalensis fusiores leges pro Seminariis  
subjiciuntur. Apud Harduin. tom. 10.  
col. 1382. seqq.

66.) Ann. 1585. Ibi sub Rubrica *de Procef-  
sionibus* declaratur, Clericos Seminarii  
esse de gremio Ecclesiæ Cathedralis, &  
propterea in Processionibus ac aliis acti-  
bus publicis cum Clero Ecclesiæ Cathe-  
dralis incedere debere.

67.) Ann. 1590.

68.) Ann. 1607.

69.) Ann. 1567. Ibi part. 3. c. 23. fuse agi-  
tur de Seminario Dilingæ erigendo.

70.) Ann. 1589. pag. 211.

71.) Ann. 1628.



*Variæ Diœ-  
ceses,*

§. 158. In nostra Germania nonnulli Episcopi satisfactum credebant Decretis Tridentinis, erigendo in suis Civitatibus publicas Scholas ubi præter Literas humaniores, gratis docerentur ea, quæ ad eruditionem & instructionem Clericorum sunt necessaria, quamvis eodem contubernio non congregentur aut alantur Scholares. Alicubi etiam Princeps sæcularis defectum Episcopi supplebat. Præterea in illis locis ubi Universitates studiorum erectæ sunt, constituta simul visuntur Seminaria, Clericorum præcipue usibus destinata, & ad disciplinæ Clericali normam formata 72. ).

*Ad probandos, & formatos  
Clericos,*

§. 159. Præterea constituta sunt quædam Seminaria, in quibus eorum, qui ad Sacros ordines aspirant, vocatio piis exercitationibus probatur: & animus asceticis præcipue doctrinis ante singulorum Ordinum susceptionem imbuitur. Ulterius se extendit nonnullorum sollicitudo ad excitanda Collegia, in quibus

72. ) Tale Collegium apud Academiam Dni-  
censem communibus plurium Episcoporum  
impensis erigendum statuit Concilium  
CAMERACENSE Ann. 1586. tit. 25.



*De Seminariis Clericorum.* 199

quibus absoluto jam studiorum curriculo, & suscepto Presbyteratu, novi Sacerdotes informantur & exercentur in functionibus Clericalibus ac Pastoralibus rite obeundis, & vita ex præscripto Sacrorum Canonum honestissime ducenda.

§. 160. Silentio præterire non *etiam* possum Seminaria quædam Clerico-*sumptibus* rum in gratiam Germanicæ Nationis *Pontificiis*: tum Romæ, tum in quibusdam Germaniæ Provinciis erecta, quorum Alumni ex Germania oriundi, impensis Pontificiis sustentantur. Censuerunt aliqui, frustra profundi has pecunias in opus hoc tempore minus necessarium, cum Diœceses propriis Clericis abundant. Alii tamen existimarunt, gloriosum esse Sedi Apostolicæ, & utilissimum Reipublicæ Catholicæ, modicis hisce sumptibus devincire Sedi Romanæ multos animarum Pastores in Germania, juramento etiam adstrictos ad operam suam pro nutu Pontificio ubique præstandam 73.).

N 4

§. 161.

---

73.) De variis Seminariis Clericorum Romæ & alibi erectorum, agit HIPPOLYTUS HELVOT in volumine octavo sui Operis de Ordinibus Religiosis.



*Clericorum in commu-  
ne viven-  
tium,* §. 161. Aliud Seminarii genus in-  
stituit, & hac via antiquam Clericali  
vitæ formam restituit Vir sancti-  
tatis fama illustris, BARTHOLO-  
MÆUS HOLZHAUSER, quod so-  
lemus vocare *Institutum Clericorum sa-  
cularium in commune viventium*. To-  
tam ejus rationem typis impressam  
& pro Directione juventutis, pro  
Directione Sacerdotum in officiis &  
beneficiis existentium, nec non pro  
Directione senum & inhabilium in  
tres partes divisam, laudavit atque  
approbavit Summus Pontifex IN-  
NOCENTIUS XI. Anno 1684. ma-  
gisque approbat publica utilitas in  
plures Diœceses ex hoc Instituto  
promanans. Substantialia autem  
ejusdem sunt Communitas bono-  
rum, Cohabitatio fraterna, separa-  
tio mulierum, & Obedientia erga  
Superiores Instituti.

*Et alia Col-  
legia sunt  
utilissima,* §. 162. Si Collegia Clericorum a  
prioribus Episcopis instituta, solite  
& accommodata disciplina regantur;  
aut nova prudenter sine sinistro  
æmulationis affectu, pro locorum  
opportunitate, absque antiquorum  
detrimento erigantur; Alumnique  
pauperes, quod juxta plerorumque  
Episcopatum & Capitulum Ger-  
mania



*De Seminariis Clericorum.* 201

manix opulentiam difficile non erit,  
gratis alantur; si nemo, nisi cujus  
eximix dotes spem optimam præ-  
bent, in hæc Collegia suscipiatur;  
nec facile Sacri Ordines aut Benefi-  
cia conferantur aliis, quam horum  
Collegiorum Alumnis: fieri non po-  
test, quin ex iis prodituri sint Viri  
ad animarum Curam aptissimi, Pa-  
tronique Ecclesiarum suaviter addu-  
cantur ad eosdem pro Cura Pasto-  
rali præsentandos, cum maximo  
Ecclesiæ emolumento, & summa  
Episcoporum gloria, quam conse-  
quentur ob insignes Viros liberaliter  
nutritos, solícite formatos, & pro  
merito suo Ecclesiis præfectos: sicuti  
THEODORICUS Rex sibi applau-  
debat, quod integerrimos Prætores  
& Judices ex Aula sua in Provincias  
mitteret: *Judicii nostri culmen excel-  
sum est, cum qui a nobis provebitur, ple-  
nus meritis æstimatur* 74.). Magno  
sane solatio Præsules perfundentur,  
si lustrata ingenti aulæ suæ turba,  
saltem hos Seminariorum Alumnos  
reperiant Christianæ genti emolu-  
mento futuros, quos tanquam vo-  
lucres cæli in ramis arboris illius

N 5                      mysti-

---

74.) CASSIODORUS lib. I. variar. Epist. 3.



mysticæ 75.) collocent, dum animalia & bestiaë terræ subtus habitant; ne locus detur querelis RICHARDI a S. Victore 76.): quæso hoc monstri est, quod nostri temporis arbores urfos & leones vel alias huiusmodi bestiales mentes portant in ramis volucres vero cœli, & qualibet volatilia pennata premunt in imis.... Convertentur volucres cœli in ramis, locumque teneant in summis, quos sublevat penitentia sanctitatis: bestiaë sub ramis locum teneant in imis 77.).

*Urgentur a Sede Apostolica.* §. 163. Sollicitudo Romanorum Pontificum circa hæc Seminaria abunde ex eo colligitur, quod etiamnum inter eos articulos, super quibus statum Ecclesiarum suarum Episcopi exponere solent sacra Congregationi Concilii, occasione Visitationis Sacrorum Liminum, respondendum sit ad istud quæsitum: An adsit in Diœcesi Seminarium Clericorum: quot

75.) DANIEL. IV. 9. *Subter eam habitabunt animalia & bestiaë, & in ramis ejus convertentur volucres cœli.*

76.) Lib. 2. de Erudit. hominis interior. c. 17.

77.) Plura hanc in rem vid. apud JOAN. PAULUM OLIVA Conc. I.



*De Seminariis Clericorum.* 203

quot Clerici in eodem alantur : an in Ecclesiastica disciplina recte instituantur : quibusnam studiis vacent & quo profectu : an Cathedrali & aliis locis Ecclesiæ diebus festis inserviant : an fuerit statuta taxa , & in qua quantitate : & an aliqui sint morosi in ejus solutione : & an aliqua Beneficia fuerint eidem unita , & in universum quinam , & quot sint redditus prædicti Seminarii : an Episcopus cum Consilio duorum Canonicorum Seniorum necessaria pro recto regimine statuerit : an Seminarium ipse aliquando visitet , & operam det , ut Constitutiones adimpleantur 78. ) ?

§. 164. De Seminariis Clericorum *Scriptores.*

videri possunt ZERULA prax. Episc. p. 1. v. Seminarium. BARBOSA in Collect. ad Conc. Trid. Sess. 23. c. 18. Item in Summa Apost. Decis. v. Seminarium. Item de Offic. & pot. Episc. p. 3. alleg. 77. GONZALEZ ad Reg. 8. Cancel. gloss. 5. §. 7. PIA-SEC. prax. Episc. p. 2. c. 2. art. 1. n. 11. 12. THOMASSINUS p. 1. l. 3. c. 4. 5. 6. item p. 2. l. 1. c. 102. VAN ESPEN Jur. Eccl. p. 2. tit. 11.

TITU-

78.) In Appendice Concilii Romani sub BENEDICTO XIII. fol. 197. & 201.



TITULUS XII.  
DE HOSPITALIBUS.

## §. 165.

*Diversa  
nomina:*

OMNIS locus pauperibus, ægrotis aut peregrinis excipiendis destinatus solet nonnunquam generalis significatione appellari *Hospitale*. Habent tamen ejusmodi domus peculiaris quoque nomina pro diversitate personarum, quæ ibi recipiuntur. *Xenodochia* dicuntur, ubi peregrini; *Orphanotrophia*, ubi parentibus orbati; *Nosocomia*, ubi ægri; *Leprosodochia*, ubi infecti lepra; *Ptochotrophia*, ubi pauperes debiles, & ad laborandum inhabiles; *Gerontocomia*, ubi pauperes senes; *Brephotrophia*, ubi infantes expositi aluntur 79.).

*Et qualitates Hospitalium.*

§. 166. Quædam ex his locis eriguntur & dotantur ex pietate privata, absque interventu autoritatis Ecclesiasticæ & hæc dicuntur *Loca Pias* manent tamen mere profana, & in pote-

79.) Diversæ piarum ædium species recensentur in Regum Francorum Capitulari. lib. II. c. 29.



potestate suorum autorum, qui possent eadem ad usus profanos reducere 80. ), sicut de Oratoriis privatis loquimur. Nihilominus Fundatore mortuo, Hospitale ad alium usum converti non debet 81. ). Ad aliorum foundationem sæpe accedit auctoritas Episcopi, & deputatio ritu publico & Ecclesiastico facta ad usum pium, cultumque Divinum augendum per opera charitatis: & hæc proprie sunt *Loca Religiosa* 82. ). Quædam sunt Hospitalia in Titulum Ecclesiasticum erecta, quæ proin solis Clericis tanquam vera Beneficia Ecclesiastica conferuntur: talia dari, videtur supponere Concilium VIENNENSE 83. ). Passim videmus Hospitalia, quæ intra muros suos habent Sacella consecrata, & Cæmeteria, simulque Sacerdotem ad  
cu-

---

80.) REDOANUS de reb. Eccl. non alienand. Rubr. 27. & 31. utrinque n. 7. seqq.

81.) Sic arguit ABBAS *Panormit.* ad c. 4. n. 4. de Relig. domib. ex Novell. 131. c. 10. de Eccles. Titul.

82.) De his agunt Canonistæ ad Tit. de Relig. domib.

83.) Relatum in Clement. 2. de Relig. dom. item Conc. TRID. Sefs. XXV. c. 8. de reform.



curam animarum institutum: hoc solo tamen Hospitalia non assumunt qualitatem loci Religiosi; sicut Palatium Principis non fit locus Religiosus ob Sacellum in eo consecratum: neque per institutionem Beneficiati ab Episcopo factam, consecratur ipsum Hospitale datum in Templum; sed solummodo Sacellum sacris usibus destinatum. Considerata igitur qualitate Hospitalis, sentiendum & loquendum de eo est juxta principia alibi tradi solita circa diversitatem Loci Pii, aut Religiosi, aut Sacri, aut Beneficii Ecclesiastici

*Suprema  
Cura*

§. 167. Apostolorum exemplo (84.) & secundum Sanctorum Patrum traditionem (85.), Episcopo incumbit cura pauperum, non quidem ut ipse administrationis onus in se suscipiat, sed ut administratores constituat,isque sedulo invigilet (86.). Apostoli commiserunt curam pauperum Diaconis (87.), uti & Romani Pontifices.

84.) Act. IV. 35.

85.) Vid. LAUNOIVS Tom. 2. vol. 2. De Cura Ecclesiae pro pauperibus.

86.) L. 42. §. 9. l. 46. §. 3. C. de Episcopis & Clericis.

87.) Act. VI.



ces. Unde quamvis primis post Christum sæculis, passim Christiani pauperibus, ægrotis, peregrinis omnia charitatis obsequia privatim exhiberent 88.); tamen quamprimum licuit, per diversas Romanæ Urbis regiones erecta sunt loca, *Diaconia* dicta, in quibus per Diaconos regionarios, pauperes viduæ, pupilli, senes propriæ regionis alebantur, publicæ quodammodo hospitalales domus, quæ Oratoria & Sacella adjuncta habebant, in quibus a Diacono egenis necessaria subministrabantur: ipsis autem dirutis aut collapsis ædibus, *Diaconia* nomen Sacellis & Oratoriis mansit, a quibus eorum Præfecti, *Diaconi Cardinales Urbis Romæ postea dicti sunt* 89.).

§. 168. Admonitionem Apostoli, *incumbit* qui Episcopos Hospitalales esse volebat, adeo ad literam secuti sunt aliqui cum S. AUGUSTINO, ut hospites & peregrinos etiam suæ mensæ ad-

*Episcopis :*

88.) Vid. MAMACHI Orig. Christ. tom. 3. lib. III. part. 3. c. I. §. 4.

89.) De variis Diaconiis mentionem facit ANASTASIUS *Bibliothecarius* de Vitis Rom. Pontif. STEPHANI III. & HADRIANI I. quarum nomina colligit DUCANGE in Glossar. V. *Diaconia*.



adhiberent. S. CHRYSOSTOMI  
autem, obtrectatorum cavillationibus  
parum motus, solus quidem  
mebat cibum, sollicitam tamen pauperum  
& peregrinorum curam gerens  
quam vivendi rationem PALLADIUS  
contemporaneus ejus vitæ Scriptorem  
tam gravibus rationibus commendat  
ut alii Episcopi passim CHRYSOSTOMUM  
æmulati sint 90.) GREGORIUS Nazianzenus 91.)  
extollit studium S. BASILII erga  
pauperes, & Hospitale ab ipso erectum  
civitati comparat, & septem  
mundi miraculis præfert: *Paulus  
extra civitatem pedem effer, ac novam  
civitatem conspice &c. &c.* Ad hanc  
curam respicit Concilium CHALCEDONENSE  
92.), jubens, ut pauperibus alio  
peregrinantibus Epistola *Pacificæ*  
ab Episcopo concedantur. Concilium  
quoque AQUISGRANENSE 93.) vult,  
ut Episcopus Hospitale commo-  
do loco erigat, et

- 
- 90.) Vid. THOMASSIN. vet. & nov. Eccl.  
discipl. p. I. lib. II. c. 89. Acta Sancto-  
rum. 14. Septembr. in vita S. Joanni  
Chrysoft. §. 37. pag. 514. seqq.  
91.) Orat. 20.  
92.) Can. II. ibique ZONARAS.  
93.) Ann. 816. can. 141.



que unum ex Fratribus, id est Canonicis, non tamen beneficiario jure præficiat. Accesserunt recentiorum Conciliorum 94. ) Constitutiones gravissimis verbis hanc curam Episcopo inculcantes. Unde plurima ubique erecta sunt Hospitalia, adnitentibus Episcopis, Laicorum potissimum munificentia: nihilque frequentius occurrit, quam quod oblationes Fidelium sint patrimonia pauperum.

§. 169. Sicuti autem hæc Episco-vel Principum autoritas, quam Concilium *TRIDENTINUM* circa Hospitalia,

aliaque loca pia restitutam cupit, non excludit Principes, tanquam speciales pauperum & miserabilium Patronos ac Protectores: ita etiam sunt quædam Xenodochia, piaque loca *sub speciali & immediata* Protectione Regum & Principum constituta, quorum visitationem Episcopus suscipere non potest absque Principis annutu, ipso Concilio *TRIDENTINO* sic limitan-

O te

---

94. ) Concil. VIENNENSE in Clement. de Relig. Domib. & *TRIDENTINUM* Sess. VII. c. 15. Sess. XXII. c. 8. & 9. Sess. XXV. c. 8. de Reform.



te decretum suum 95. ). Posuerunt  
autem multi Fundatores Xenodochia  
sub defensione Principum, quod et  
a nullo melius, quam a summis  
Potestatibus protegenda credide-  
runt 96. ). Possent etiam Hospitalia  
sub expressa clausula fundari, ut E-  
piscopus a rationibus exigendis ex-  
cludatur, quod agnovit Synodus  
TRIDENTINA 97. ), jubens admi-  
nistratores Hospitalis singulis annis  
rationem administrationis Ordinario  
reddere, nisi secus forte in institutione  
& ordinatione talis fabricæ expresse con-  
tum esset.

§. 170.

95. ) Cit. Sess. XXII. c. 8. *Episcopi habent  
jus visitandi hospitalia... non tamen que sub  
Regum immediata protectione sunt, sine Re-  
rum licentia.* Quod autem hic de Regi-  
bus dicitur, intelligi etiam debet de Prin-  
cipibus immediatis Imperii Germanici  
utpote qui Juribus Regalibus in Provin-  
ciis suis gaudent.

96. ) De Cura Principum erga Hospitalia  
agit Synodus REGIATICINA, hoc est  
in Urbe Regia Ticino celebrata ann. 859.  
c. 16. item Concilium TULLENSE l. ann.  
859. inter decreta Synodi LINGONEN-  
sis eidem Tullensi Concilio exhibita Ca-  
14. apud Harduin. tom. 5. col. 500.

97. ) Sess. XXII. c. 9. de Reform.



§. 170. Porro Hospitalia profana, *vel utris-*  
absque autoritate Episcopi erecta, *que simul.*

sicut non efficiuntur Religiosa vel  
Ecclesiastica, ita nec subsunt Juris-  
dictioni Episcopi Diocesani, nisi ea-  
tenus, ut nihil contra decentiam &  
cultum Divinum ibi contingat 98.).  
Certe Concilium TRIDENTINUM  
99.), dum jus visitandi Hospitalia  
Episcopo tribuit *in casibus a Jure con-*  
*cessis*: item *juxta Sacrorum Canonum sta-*  
*tuta*; his ipsis verbis jus visitandi re-  
stringit ad limites Juris communis,  
quo loca profana, licet pia, non sub-  
sunt visitationi Episcoporum. Simi-  
lis tamen limitatio non adjicitur,  
quando Synodus TRIDENTINA  
loquitur de autoritate Episcopi in  
exigendis rationibus ab Administra-  
toribus Hospitalium: hæc proin cir-  
ca omnia Hospitalia, in quorum fun-  
datione aliud cautum non est, com-  
petere videtur Episcopo Jure Con-  
cilio Tridentini. Si tamen in qui-  
busdam Provinciis aliud observetur,  
id contingit *non ad contraveniendum*

O 2

Con-

98.) FAGNANUS in c. ad hæc. n. 51. de  
Relig. Domib.

99.) Sefs. XXII. c. 8. de Reform.



Concilio Tridentino, sed ut executio commodetur naturæ cujusque Provinciae 100.). Multi tamen Principes, non obstante antiqua consuetudine, juribus suis nequaquam præjudicant, credunt, si Episcopi locorum Piorum, etiam profanorum, curam aliquam gerant; eorumque Commissarii conditioni rationum intersint, absque impensis tamen loci Pii 1.).

*Administrato-  
rum,*

§. 171. Qui supremam Hospitalium curam gerunt, Administratores constituere debent juxta voluntatem primorum Fundatorum, cui si non satisfiat, ipsi Principes vel Episcopi impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerant 2.). Prohibet Synodus VIENNENSIS, ne Hospitalia saculari-

100.) Verba hæc ex aliquo Mandato Belgico decerpit ZYPÆUS Jur. nov. lib. I. de Constit. n. 6.

1.) Sic in Belgio ordinatum esse refert VAN ESPEN Jur. Eccl. p. II. tit. 37. c. 2. n. 47. seqq. In Concordatis Bavaricæ de ann. 1583. cap. I. æque Principi ac Episcopis datur jus exigendi rationes ab Administratoribus Hospitalium de bonorum temporalium dissipatione accusatis: sub quibus conditionibus id intelligi debeat, usus docebit.

2.) Synodus REGIATICINA cit. loc.



laribus Clericis in Beneficium conferantur, ne scilicet multa, ad usum pauperum vel ægrotorum deputata, in usum Clericorum transferantur 3.), non obstante contraria consuetudine, nisi in illorum fundatione fecus constitutum fuerit; *sed eorum gubernatio per modum simplicis administrationis, viris providis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, velint & valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter regere, & eorum proventus & redditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare 4.).* Multa Hospitalia ex mente Fundatorum subsunt gubernationi Religiosorum, Militarium Ordinum S. JOANNIS Hierosolymitani, S. LAZARI, & S. MARIÆ Teutonicorum; item S. ANTONII Viennensis, S. SPIRITUS in  
O 3 Saxia,

- 
- 3.) HINC MARUS Archiepiscopus Rhemen-  
lis *Canonicis sue Ecclesiæ Hospitale consti-  
tuit ad susceptionem peregrinorum vel pau-  
perum, congruis ad id rebus deputatis...  
ea conditione, ut nullo unquam tempore qui-  
libet Episcopus, vel quilibet persona easdem  
res cuiquam in beneficium dare præsumat.*  
FLODOARD. Hist. Rhemenf. l. 3. c. 10.
- 4.) Clem. 2. de Relig. Domib.



*Saxia, Fratrum Misericordia, aliorumque utriusque sexus 5.)*

*Extra Monasteria,*

§. 172. In Monasteriis Hospitalitatem jam pridem viguisse, notorium est, claro argumento supradictæ regulæ Canonicae, quod oblationes Fidelium sint patrimonia pauperum 6.). Alludunt aliqui ad nomen Monasterii *Stabulensis*, illudque merito sic vocari dicunt, utpote quod sit Stabulum quorumvis peregrinorum 7.). Ob hanc causam videmus multa Monasteria constructa in locis aviiis & periculosis. Solent autem extra claustra Monasterii ad aliquam recipiendis pauperibus & peregrinis deputari, ne disciplina claustralis nimium perturbetur. CL. MENS VIII. Pontifex vehementer sollicitus de redditibus Monasteriorum

5.) Vid. HIPPOLYTUS HELYOT *Histoire des Ordres Religieux* Vol. 2. 3. & 4. p. 1. sim. item VAN ESPEN *Jur. Eccl.* p. 1. tit. 37. c. 3.

6.) Concil. AQUISGRANENSE ann. 817. lib. II. can. 28. loquitur de Monasterio Monialium: sicuti in lib. I. c. 141. locutum fuerat de Ecclesiis Canonicorum ut scilicet sua Hospitalia habeant pro pauperibus & peregrinis.

7.) CHRISTIANUS LUPUS in Scholiis ad Can. II. Concil. Chalced.



rum bene impendendis 8.), laudat hanc Hospitalitatem, modo verorum pauperum ratio habeatur. Quanta autem Hospitalitatis ratio habenda sit in iis locis, ubi Hospitalia, vel Monasteria Hospitalitatis onus habentia, alteri Capitulo aut Collegio incorporantur, desumendum est ex ipsis Literis Incorporationis vel suppressionis, aut in earum defectu, ex Concilio TRIDENTINO 9.).

§. 173. Hospitalium, quæ extra *Officium*, Monasteria sunt, Administratores *quoad tem-* Juramentum præstare debent: *In- poralia* : ventaria conficere: rationes annuas reddere 10. ). Bona alienari non possunt, nisi ex causa necessitatis aut evidentis utilitatis, adhibitis solemnitatibus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum adhiberi solitis; aut in Hospitalibus profanis absque consensu eorum, quibus ex mente Fundatorum suprema cura incumbit. Reditus non ad quemcunque usum pium; sed ad illum determi-

O 4 na-

- 
- 8.) In Constit. de largitione munerum Regularibus interdicta.  
9.) Sess. XXV. c. 8. de Reform.  
10.) Clement. 2. cit.



natum impendantur, ad quem Fundator destinavit: si destinati sunt pro personis certo morbi genere infectis, & tales non adsint; jubet Concilium TRIDENTINUM II. ut fructus illorum ad alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur. Permittitur hoc ibidem Episcopo cum duobus de Capitulo: ubi autem Laica est administratio, haud dubie etiam consensus Principis intervenire debet. Ministris Hospitalium taxata sint salaria, quae non excedantur. Uterque sexus solite separetur, non tantum ubi versantur maturae aetatis homines; sed praecipue etiam in Orphanotrophiis & Brepotrophiis id observetur. In his singuli mox a prima pueritia applicentur laboribus, quorum ope se aliquando sustentare possint, ne vagae mendicitati assuescant.

*Et Spiritualia.*

§. 174. Non solum circa temporalia, sed circa spiritualia quoque, debet esse provisum Hospitalibus: proinde constituendi etiam sunt, qui  
agro-



agrotis ac pauperibus Sacramenta administrent, & solatio sint. Hinc si committitur cura Hospitalium certis Religiosis aut Clericis, ex hoc solo inferri non potest, commissam illis simul esse curam temporalium, cum sine hac possint procurare salutem animarum. Nonnunquam cura Spiritualis Hospitalium pertinet ad Parochum loci, in quo situm est Hospitale, conformiter Juri communi: nonnunquam Hospitale habet Parochum proprium 12.)

§. 175. In recipiendis ad Hospi-  
talia, non tantum egestatis ac ino-  
pia, sed etiam morum ac probitatis  
vitæ ratio habenda est. Observen-  
tur sedulo qualitates a Fundatoribus  
præscriptæ. Administratores non  
recipiant pro solo suo affectu, vel  
etiam commodo privato personas,  
quæ non ex egestate, sed pro com-  
modiore vita & otio recipi petunt:  
vel quarum admissione nonnullæ  
Administratoris obligationes extin-  
guantur. Neque recipiantur men-  
dici validi, qui labore manuum vi-  
ctum possunt quærere. Si ejusmo-  
di

Recipien-  
dorum con-  
ditiones.

O 5 di

12.) Clement. 2. cit.



di hominibus nec publice mendican-  
 di facultas concedi debeat 13.  
 multo minus eorum inertia fove-  
 debet redditibus Hospitalium 14.  
 Adhibeantur potius isti homines  
 ad opera publica, & officinas  
 fabricandis mercibus destinatas.



SEC.

- 13.) L. un. C. de Mendicantibus validis.  
 14.) Novell. 80. c. 5. Capitular. V. c. 5.  
 806. c. 10. Concil. COLON. ann. 1530.  
 part. II. c. 5. VAN ESPEN p. 2. tit. 5.  
 c. 5. n. 4. seqq. Reformat. Polit. Aug.  
 stæ ann. 1548. tit. 26. PETRUS GRÆCO-  
 RIUS *Tholosanus* Syntagm. Jur. lib. 1.  
 c. 28. n. 13. & lib. 39. c. 6. n. 13. seqq.